




Biblioteca  Valenciana  
Declamationes ex corde pe



31000001535445

NP24-25/79



SN

V


L. 5.941

11111

XVIII/3351 7/2

84/25 At  
79

*nicolae-prasinifolia*



# DECLAMATIONES

EX CORDE PECCATORIS LAPSI  
AD POENITENTIAM,  
GEMITUSQUE CORAM DEO SE  
humiliantis, & misericordiam exposcentis.

AUTHORE

A. R. P. M. Fr. THOMA SORO, AUGUSTI-  
niano, Liberalium Artium Magistro, Sacrae Theo-  
logiae Doctore, in Universitate Valentina Profess.  
& Censore, Examinatore Synodali, & S. In-  
quisitionis Officii Qualificatore.

QUAS IN LUCEM EDIT

Dr. JOANNES BAPTISTA ORTS, ECCLESIÆ  
Parœcialis S. Andreæ Valentinæ Urbis olim Vicarius,  
nunc verò Alcudiaæ Crispinorum Rector.



---

SUPERIORUM PERMISSU.  
Valentiae: Chalcogr. Josephi Thomæ Lucas, I.D.E.G.I. Typ. an. 1750.



Nº 3655

JUDICIUM , QUOD CIRCA  
opus hoc explicuit Dr. Josephus  
Febrer , Congregationis Oratorii  
Valentinæ Presbyter , ac Prae-  
positus.

EX speciali commissione D.D. Petri Albornoꝝ;  
. J. U. D. Metropolitanæ Ecclesiæ Valentinæ  
Canonici , ac pro Illust. ac Revmo. D. D. An-  
drea Majoral , Archiepiscopo Valentino , Regio-  
que Consiliatio , Officialis , ac Vicarii Genera-  
lis , &c. non sine magna animi fruitione legi Li-  
brum , cuius titulus est : *Declamationes ex corde Pe-  
ccatoris lapsi ad pœnitentiam* , Authore R. P. M.  
Fr. Thoma Soto , Augustiniano , Sacrae Theologiæ  
Doctore , in Valentina Universitate ejusdem Fa-  
cultatis Professore , & Censore jam Jubilato , S.  
Inquisitionis Qualificatore , Synodali Archiepisco-  
patûs Examinatore , olim Conventuum Majoris S.  
Aug. Valent. & Succursûs Priore , &c. & certè nihil  
in eo inveni , quod humilitatem , pietatem , charita-  
tem , zelumque ardentissimum non redoleat ; in ip-  
so etenim non tam lingua , quam Authoris cor lo-  
quitur ; adeo ut ei cum Vate Regio concinnete  
liqueat : *Eruetavit cor meum verbum bonum* ; quia  
singula ejus verba , singulique periodi nihil aliud  
mihi in veritate videntur , quam sacræ quædam ,  
ac ferventes eructationes sui cordis omni charita-  
te referti : hæc enim Authorem cum peccatore  
lapsi conglutinat , ut verè pœnitens resurgat ;  
hæc potentissima motiva excogitat , ut firmam fi-  
duciam , tūm erga Deum , & Jesu Christi Do-  
mini nostri Passionem , tūm erga Beatissimam Vir-

ginem Mariam ; & Sanctos concipiat ; hęc cōr  
ruscationes cōelestes infundit , ut ad veram sui  
peccati cognitionem deveniat ; hęc Authorem in  
amaras lacrymas resolvit , ut peccatorem ad de-  
fenda sua scelera provocet ; hęc demūm omnes  
sinus suos aperit , ut intra illos peccatorem ex-  
cipiat , confoveat , & Deo lucretur. Cūm ergo  
sic Authorem lacrymantem , ac peccatorem lap-  
sum omnibus charitatis officiis prosequentem ,  
cerno , in mentem mihi venit vir ille omni lau-  
de major Sanctus Cyprianus Martyr , & Car-  
thaginensis Antistes , qui in suo libro verè au-  
reо *De lapsis* , ita suum ferventissimum zelum er-  
ga peccatores lapsos exprimebat : *Cum singulis*  
*peccatis meum copulo , mœroris , O funeris pondera*  
*luctuosa participo ; cum plangentibus plango , cum*  
*deflentibus defleo , O cum jacentibus jacere me credo.*  
Quocirca librum hunc , tanquam à Catholicis dog-  
matibus , bonisque moribus nihil devium , dig-  
num judico , ut in lucem prodeat , ac prælo man-  
detur. Sic censeo , sic judico , *salvo semper , O*  
Valentiæ die 25. mensis Octobris anno 1750.

*Dr. Josephus Febrer.*

Imprimatur:

*Dr. Albornòz , Vic. Gen.*

CEN-

# CENSURA

D<sup>RIS.</sup> JOANNIS BAPTISTÆ

Benavent, Presbyteri, Philo-  
phiæ Magistri, olim semel, &  
iterum Professoris, Sacræ Theo-  
log. Doctoris, Professoris, & Cen-  
soris, pro variis Cathedris, Præpo-  
situris, & Canonicatibus candida-  
ti, & olim Epheborum Illustri-  
simi D. Archiepiscopi Valentini  
Magistri emeriti.

POTENTISSIME DOMINE.

DE V. A. mandato vidi opus, cuius titulus est:  
*Declamationes ex corde Peccatoris lapsi ad pœnitentiam*, Authore Reverendo admodum P.  
M. Fr. Thoma Soto, Augustiniano, Sacræ Theo-  
logiæ Doctore, in Valentina Universitate ejusdem  
Facultatis Professore, & Censore jam Jubilato, S.  
Inquisitionis Qualificatore, Synodali Archiepisco-  
patûs Examinatore, olim Conventuum Majoris S.  
Aug. Valent. & Succursûs Priore, &c. nihilque  
inveni juri Regio adversum, immò per omnia ip-  
sum conciliare. Opus quippe reperi pium, mag-  
noperè utile, & omnibus profuturum, maximè  
in nostra temporum tempestate, in qua (proh  
dolor!) universus penè terrarum orbis innume-  
ris

ris vitiorum spectris horridus appareat, totusque  
in maligno positus est; adeò ut si vel tantillum  
mundi statum considerare velimus, ipsum mag-  
nâ scelerum, culparumque sordida alluvie sca-  
tentem reperiemus. Atque hæc omnia cùm at-  
tentè Author considerasset, velut alter Jeremias  
cum magno ejulatu, & lacrymis lamentaba-  
tur assiduè: *Idcirco ego plorans, & oculus meus*  
*deducens lacrymas;* suosque singultus hisce De-  
clamationibus intermisceret, eisque jugiter clamat,  
nec cessat, & quasi tuba exaltat vocem suam,  
eo fine ut perstrepente in cordibus hominum il-  
latum horrisono clangore, ad Deum, si lapsi fue-  
rint, quantocyùs convertantur. Atque jam in his  
abundè significavi, & innui judicium meum su-  
per opere hoc, quod dignum censeo publica  
luce. Sic sentio, salvo semper, &c. Valentiaæ 14.  
Julii anno 1750.

*Dr. Joannes Baptista Benavent.*

---

#### SUMA DE LA LICENCIA.

**L**os Señores del Real Consejo concedieron li-  
cencia para imprimir este Libro intitulado:  
*Declamationes Peccatoris lapsi ad pœnitentiam*, su  
Autor el M. R. P. M. Fr. Thomàs Soro, del Orden  
de S. Agustín, Dr. en Sagrada Theología en la  
Universidad de Valencia: como mas largamen-  
te consta de la Certificación dada por D. Juan  
de Peñuelas en Madrid à tres de Octubre de mil  
setecientos y cincuenta.

## FEE DE ERRATAS.

Pag. 2. lin. 27. ventu, leg. vento. Lin. 30. alium, leg. aliam. Pag. 3. lin. 33. spirasti, leg. ex(spi)asti. Pag. 4. lin. 10. ingrederes, leg. ingredereris. Pag. 8. lin. 4. est, leg. es. Lin. 35. apparens, leg. apparen-tem. Pag. 9. lin. 14. ob, leg. in. Lin. 15. infremuit, leg. infremet. Lin. 16. moventur, leg. movebuntur. Lin. ult. disceptus, leg. disceptus. Pag. 10. lin. 27. plan-tatum, leg. plantatam. Pag. 14. lin. 24. optimos, leg. opimos. Pag. 16. lin. 25. fratres, leg. fratribus. Pag. 17. lin. 3. appendebant, leg. appendebantur. Pag. 22. lin. 10. rixisse, leg. risisse. Lin. 33. duo, leg. duos. Pag. 25. lin. 22. substinebat, leg. susti-nebat. Lin. 24. millies, leg. mille. Lin. ult. vermes, leg. vermis. Pag. 29. lin. 28. confudit, leg. confun-dit. Pag. 30. lin. 2, & 3. Dei formis :: decorata, leg. Deiformibus :: decoratur. Pag. 31. lin. 29. appro-priare, leg. appropinquare. Pag. 32. sociandum, leg. sociandus. Pag. 37. lin. 16. es, leg. est. Pag. 38. lin. 9. quos quantos reos, leg. qui quanti rei. Pag. 39. lin. 15. abscontionem, leg. absconsionem. Pag. 41. lin. 18. superabundabit, leg. superabun-davit. Pag. 47. lin. 12. Jordani, leg. Jordane. Pag. 48. lin. 21. inclinatus, leg. inclinata. Lin. 29. sumus, leg. simus. Pag. 49. lin. 16. solitudine, leg. sollici-tudine. Pag. 53. lin. 13. sinistrum, leg. sinistram. Pag. 54. lin. 25. itenere, leg. itinere. Pag. 60. lin. 13. effu-tius, leg. effusius. Pag. 64. sæculi, leg. se equuti. Pag. 69. lin. 9. sedis, leg. sedes. Pag. 72. lin. 12. utque mod, leg. utque modò. Pag. 100. lin. 31. apparentia, leg. apparentia. Pag. 101. lin. 8. liberare, leg. liberati. Pag. 103. lin. 17. servientes, leg. servientis. Pag. 106. lin. 31. tetigis, leg. tetigisti. Pag. 107. lin. 10. incil-lit, leg. insilit. Lin. 25. mansit, leg. mansio. Pag. 109. lin. 14. ellidit, leg. elidit. Lin. 25. calida, leg. callida. Pag. 110. lin. 23. evaſci, leg. enaſci. Pag. 112. lin.

15. intueris, leg. intuearis. Lin. 30. spiritus: toto, leg. spiritum: totus. Lin. ult. mira, leg. miram. Pag. 117. lin. 35. somnia, leg. somniant. Pag. 130. lin. 16. evenere, leg. evenire. Pag. 104. lin. 19. acervissimos, leg. acerbissimos. Pag. 150. lin. 19. fictus leg. fictè. Pag. 160. lin. 24. spineis, leg. spinis. Pag. 170. lin. 3. facti, leg. fracti. Lin. 4. ejus, leg. eorum. Pag. 172. lin. 17. revertabantur, leg. revertebantur.

El Libro cuyo titulo es: *Declamationes ex corde Peccatoris lapsi ad pœnitentiam*, su Author el R.P. M. Fr. Thomàs Soro, Dr. en Sagrada Theologia, del Orden de S. Agustín, assi corregidas estas erratas corresponde à su original. Madrid quattro de Setiembre de 1750.

*Licenciado Manuel Ricardo  
de Rivera,  
Corrector General por su Mag.*

---

### SUMA DE LA TASSA.

**L**os Señores del Real Consejo tassaron este Libro intitulado: *Declamationes Peccatoris lapsi ad pœnitentiam*, su Autor el M. R. P. M. Fr. Thomàs Soro, del Orden de S. Agustín, Dr. en Sagrada Theologia en la Universidad de Valencia, à seis maravedis cada pliego, el qual contiene veinte y un pliegos y medio, sin principios, ni tablas: como mas largamente consta de la Certificacion dada por D. Juan de Peñuelas en Madrid à cinco de Setiembre de mil setecientos y cincuenta.

ELEN.

# ELENCHUS DECLAMA- tionum , quæ in hoc Opere continentur.

**D**edicatio simul, & Declamatio I. ad Sanctissimum, Deoque maximè dilectum Sacerdotem D. Thomam à Villanova , pag. 1.

Declamatio II. ad Ven. & SS. Imaginem Crucifixi D. nostri Jesu Christi , prout colitur in Sacratissimo Sacello D. Thomæ à Villanova , in Conventu S. Mariæ de Succursu Valentino , ubi Corpus ejusdem Sanctissimi Pontificis veneratur , pag. 6.

Digressio brevis de Venerabili , ac Illmo. D. D. Fr. Jacobo Perez de Valentia , Episcopo Christopolitano , pag. 13.

Declamatio III. lapsi ad pœnitentiam , pag. 19.

Declamatio IV. ad idem , pag. 21.

Declamatio V. ad SS. & Individuam Unitatem Dei , Trinitatemque Personarum , pag. 27.

Declamatio VI. ad Venerabile , & Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum , pag. 33.

Declamatio VII. ad Beatam Virginem , pag. 38.

Declamatio VIII. ad Sanctum Angelum Custodem , & reliquos Angelos , pag. 42.

Declamatio IX. ad Sanctum Joannem Baptis-

- tam, Præcursum Domini, pag. 46.
- Declamatio X. ad Sanctum Joseph, Sponsum Virginis, Jesu Christi Domini nostri putatium Patrem, pag. 52.
- Declamatio XI. ad M.P. Augustinum, & quasi obviè ad D. A. D. Thomam Aquinatem, pag. 56.
- Declamatio XII. ad Sanctam Mariam Magdalénam, & reliquos Sanctos, qui aliquando peccarunt, pag. 61.
- Declamatio XIII. de Beatitudine, seu gloria Cœlesti, pag. 66.
- Declamatio XIV. ad Ministros, & Domini Sacerdotes, pag. 72.
- Declamatio XV. in Sac. Sacramento Pœnitentiæ, tūm in exercitio Sanctissimæ Orationis, pag. 77.
- Declamatio XVI. lapsi moribundi ad pœnitentiam, pag. 84.
- Declamatio XVII. infirmi in Agonia pro Sancto Sacramento Extremæ Unctionis, pag. 88.
- Declamatio XVIII. absque fructu in Inferno lapsi ad pœnitentiam, pag. 92.
- Declamatio XIX. de infelici, & nequam fallaci mundo, pag. 98.
- Declamatio XX. de infelici strage luxuriæ, pag.

pag. 105.

Declamatio XXI. ad idem, pag. 114.

Declamatio XXII. contra Superbiam initium  
omnis peccati, pag. 119.

Declamatio XXIII. in flagello terræmotuum  
à die 23. Martii anno 1748. in hoc Regno,  
pag. 124.

Declamatio XXIV. prævia de memoria nece-  
saria dolorosissimæ Passionis Christi , pag.  
132.

Declamatio XXV. de Oratione in Horto, Ago-  
nia , & Captione Christi, pag. 138.

Declamatio XXVI. ad Christum Principibus,  
ac Concilio Sacerdotum præsentatum, pag.  
146.

Declamatio XXVII. de Christo mane feriæ sex-  
tæ in Parasceve coram Pilato, Herode, &c.  
pag. 151.

Declamatio XXVIII. de Christi flagellatione,  
& spinea Corona , pag. 157.

Declamatio XXIX. ad Christum Crucis pon-  
dere gravatum , & in Calvariam ductum,  
ibique crucifixum, pag. 166.

## EDITOR LECTORI.

Per venerunt tandem ad manus meas tamdiu a me desideratae Declamationes istae, ab insigne pietate, & eruditione Viro conscriptae. Eas ut accepi, avidissime coepi legere, & sensim intra me præcordia inflammari sentiebam; tantum enim in se spiritalem continent ardorem, ut corda vel frigidiora incalescere faciant. Iterum, iterumque legi, semper miratus corpore ita exiguo tantum incendium contineri; quot enim verba, tot sunt ignita jacula, de quibus merito dici potest: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Sunt Declamationes istae, argenteæ illæ Israelitici populi tubæ, ad quarum horrisonum clangorem Hierusalem Urbis moenia corruebre.

His igitur permotus, ardentius desiderabam ut publicam viderent lucem in fidelium utilitatem, Deique maximam gloriam. Considerabam tamen piissimum Authorem nunquam in id consensurum, utpote qui lucernam doctrinæ suæ semper sub modio ponere studuit, & Declamationes istas jam senectute confessus, erigendo menem in Deum, quidquid Deus ipse suggerebat, ex tempore scripsit, vel dictavit. Ea igitur mihi metipsi dixi, ignoscat Author; oportet ut effodiatur hic magnus thesaurus, & videat lucem.

Dicet forsitan aliquis, opusculum istud non esse tantò Authore dignum, & quia parvum, & quia cultiori stylo, retoricasque coloribus destitutum. Sed monitum Lectorem volo, non semel accidere, ut exiguus, & incomptus liber aptior sit ad eradicanda vitia, & seminandas virtutes, quam magna volumina tropis, figurisque referta. Auditur Hugo Cardinalis, qui explicans illa verba Iudic. 3. *Samgar vomere interfecit sexcentos: Aod polito gladio solam Eglon,* hæc habet: *Sic sepè contin-*

tingit, quod plures convertit qui taliter predicit,  
quam qui subtiliter. Prætereà quis unquam humiliùs, incultiùs, & inornatiùs prædicavit Evangelista Joanne cùm senex esset? In ejus enim Officio canit Ecclesia: *Nec posset in plura vocem verba contexere*; & nihilominus hoc nec sermonum efficaciae, nec Joannis famæ nocebat. Cur igitur dedecori erit opusculum istud, licet parvum, licet inornatum, Authori tamen pio, & eruditio, & de litteris, & litteratis benemerito?

Audiatur insuper Sanctus Franciscus Salesius, Genevensis Episcopus, & Princeps, qui Epistola 3. sic ait: *P. Philippus Diaz multum mibi placet, planè discurrit, spiritumque prædicationis habet; deest tamen illi, quod in Ossorio reperitur, nempe, ordo, & methodus, quia neutrum habet.* Si igitur Pater Diaz, quamvis incultè, & impolite scriperit, tanti Viri elogia meruit, adeo ut Sanctissimus ille Præful convenientissimum esse, monebat, *semper in manibus habere Patris Philippi opera: cur non sperabo & ego, gratiores, acceptioresque omnibus fore Declamationes istas, quamvis simplici, & familiari stylo conscriptas, maximè cùm eas prælio dignas censuerint tres Valentinæ Universitatis Theologi insignes?*

Videant ergo publicam lucem, faxitque Deus votis meis annuere, & desiderium meum opere implere. Futurum enim spero, ut quotquot attente istud opusculum legant, seriò ad pœnitentiam excitentur, & ad Deum, à quo per peccatum fortè recesserant, toto animo convertantur. Tu autem, Lector benevole, hunc meum laborem partum habeas, & in bonam vertas partem, quæso. Vale.

## PRÆFATIO.

CUM in solito meo recessu cogitarem , non si-  
ne ingenti animi dolore , totum mundum in  
maligno positum esse , & pro antiqui serpentis ver-  
sutia innumeras ferè animas in orcum detrudi;  
non levis irruit super me timor , nè & ipse eandem  
cum ipsis infelicitatem sortirer. Quapropter ut  
me jam longævum , & morti propinquum seriò  
excitarem ad pœnitentiam , has assiduè Declama-  
tiones in corde meo conferebam , quibus velu-  
ti totidem sagittis , carnes meas configi experie-  
bar. Easque litteris mandare decrevi , ut crebra  
earundem lectione spiritus incalesceret. Faxit Deus  
ut , quod futurum spero , flante interiori Spiri-  
tus Sancti gratiâ , divini amoris ignis in corde meo  
ita exardescat , ut tandem Deo in æternum per-  
frui merear. Amen.

AU-

## AUTHOR LECTORI.

**I**N delictum mihi jure vertetur, quod homo nullius momenti nihil penitus (ingenue loquor, & ad omnia dicenda haec sit preventio) aripiam calamum: male dixi, nec ad hoc utilis, quoniam caligaverunt oculi, & nihil penitus scribere, vel modicum legere aliquibus abhinc mensibus valeo, adjutorio alterius indigens: quidni ergo, qui aetate plusquam septuagenarius, omnibus ut dixi destitutus, non quoad rem in se, nec adhuc quoad adjacentia rei utilis, & nunc mundum docebo? Sed non fuit haec intentio: *Infirma mundi elegit Deus, ea quae non sunt, ut ea quae sunt confundat, ut non glorietur omnis caro.* Quidam ex Sociis S. Francisci percontatus est eum: Quid est hoc? Tu nec doctus sapientia hominum, nec nobilis, & totus mundus post te abiit? Respondit, & hoc facillime percipitur: Vult Deus, quod sua opera ut sua agnoscantur, nec humana, sed sibi omnino tribuantur: ideo & inutiliora elegit, & quae vilioris sunt momenti, ut sua Omnipotentia agnoscatur. Sic duodecim Apostolorum elegit; & si totas paginas percurris, inveneries quanta elegit Deus viliora, ut sua Omnipotentia laudetur. Haec sit consolatio mea, nam nullus quantumvis malus, à Dei misericordia excluditur. Verba congregantis: Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum: non didici sapientiam, jactans autem cogitatum in Domino; ora pro me, & incipiamus. Cæteris decrescentibus, ajebat Maximus Hieronymus, in senibus sola sapientia crescit, & bos lassus fortius figit pedem. Ipse de se scribit in quadam Epistola, sibi accidisse, quod figulo accipiente in manu luteam massam ut vas formaret, volebat parvum facere, & non advertens pede rotam mo-

i. Ad  
Corinth.

Proverb.  
30.

vit,

vit ; & vās māgnum invenit. Iterūm : circa aliud argumentum in tot difficultatibus plurimum implicatus pluribus incipiebat , sed illis propositis desistebat ; iterūm amore proficiendi reassumebat vires , sic pluribus evenit , sic ad finem perveniunt plura Dei adjutorio impleta , et si pluribus difficultatibus involuta : quid si fortè Deus, cuius misericordiæ non est numerus , & Bonitatis infinitus est thesaurus in me indignissimo peccatore exequeretur ? Ex quo ferè credo perveni ad usum rationis , extunc enim Deus Optimus Maximus non cessat homini inspirare quæ recta sunt ; licet ego semper restiterim durus corde , & auribus ; multitudine cogitationum , & fluctuum sæculi in hoc salo , & proceloso mundo qualiter vitam peregi ? Quot pericula , quot tentationes , qui casus , & nesciens , & ignorans in senectute me inveni : o si vel dicere possem , in senectute bona ! Quot mala , & aliena , & mea voraverim , testis esto tu mihi , Deus : si publica confessio est prohibita , quoniam scandalum patetur , sat sit mihi dicere : Homo peccator sum , & cum Publicano , nec oculos ad Coelum , nec ad homines levare sum dignus ; sed cum ipso stans à longe percutiendo pectus dicere : *Deus propitius esto mihi miserrimo peccatori.* Novissimè autem , ut alia omittam , mundi , & hominum mala urgabant mentem meam , ac me insomnem reddebant , quasi quatuor venti in mari magno pugnabant , quoniam cor stulti quasi mare fervens : jam timor , jam tremor , jam fiducia , jam justitia , jam pietas Dei in corde meo urgebant : quam quietem haberein , quid Domino offerrem pro peccatis meis , & alienis : qualiter conscientiam sedarem ; quoniam si nulla major poena , ut ajebat D. Gregorius , quam conscientia delicti , etiam , ut Sctipatura loquitur , secura mens , atque conscientia quasi

Lucæ 18.  
v.13.


quasi juge convivium , curis , ac cogitationibus  
agitatus , factus in corde meo quasi ignis exæstuans ,  
claususque in ossibus meis deficiens ferre non sus-  
tinens ; repente quasi non cogitans vocavi fra-  
trem : sedens citò scribe , sine titulo incepi , & lo-  
quens de alio incepi , quoniam de pluribus loqui  
poteram : nota primam Declamationem ; sed quia  
naturali pondere dum de lapsu , & lapsis sermo-  
nem facerem , ad me conversa est oratio : de aliis ,  
& de me sermonem accipe . Hæc fuit ratio scrip-  
tionis meæ : ergo ad finem orationis veniens ( ami-  
ce Lector ) unum est necessarium : ad finem vitæ  
quasi veniens ad vineam ultima diei hora : potens  
est Deus dare denarium laboranti , quasi tota die  
operam contulerit , præcipue si ut illi fortè ege-  
runt ultima hora tantum laboris impenderint , qua-  
si reliqui tota die . Dr. Illuminatus Joannes Tau-  
lerus ( quod semper in mente habui pluribus ab-  
hinc annis ) ait : Quod inter opera Divinæ Pro-  
videntiæ occultissima , quibus filios hominum va-  
riis , & veris modis in finem Beatitudinis dirigit ,  
solet pluribus per totam vitam longam , & for-  
tè malam , permettere peccata plura , ut plorent ,  
& humilientur : tantæ molis est hominem conde-  
re humilem ; illis cogitantibus , quod fortè non  
exaudiuntur , quia pluribus , etiam rogando de-  
ficiunt , tamen ad finem vitæ , vel pro suo be-  
neplacito , aut prout magis expedit , exaudit , &  
eis emendationem concedit , mensuram bonam ,  
confertam , & coagitatam concedens quanta fue-  
runt desideria eorum , imò tanta cum plenitudi-  
ne suæ misericordiæ præteritas satisfaciens moras ,  
ut uno solo actu perfectæ introversionis in Deum ,  
omnes omnino abluat culpas ; & quemadmodum  
mater diligens filium , si viderit illum in clivanum  
dari præcipitem , se projicit brachiis , & ulnis  
illum amplectens ; sic Deus ad primum instans

Prov. 15.  
v. 15.

\*\*\*

con-

conversionis ab inferno eripit ; usque ad Cœlum extollit , præ plenitudine messis præteritam sterilitatem exuperans. Hæc semper præ oculis habet de me , & pluribus sermonem facere , quoniam post mea , quanta in proximis , & mundo agnoscam , Deus scit : mundus in maligno positus est , & licet dicere non valeam : *Zelus Domus tuæ comedit me* , tamen in tot mundi malis , fortem dicam : *Quis infirmatur , O ego non infirmor ? Quis scandalizatur , O ego non uror ? Vale , & ora pro me.*



**DEDICATIO SIMUL , ET DECLAMATIO**  
 ad SS<sup>mum</sup> Deoque maximè dilectum Sacerdotem  
**DIVUM THOMAM A VILLANOVA , cognomento**  
**Eleemosynarium, Patrem pauperum, Præfulibus in**  
**exemplum, sed minus dictum, juxta votum cuius-**  
**dam ex Patribus Sacræ Rotæ: pueris, adolescenti-**  
**bus, juvenibus, prout à suo Magistro Joanne de**  
**Vergara publicè proponebatur suis condiscipulis in**  
**ludo litterario: sed quid Fratribus, & Religiosis,**  
**præcipue Augustinianis sui Instituti? Tandemque**  
**Præfulibus, & omnium statuum; prout ejus sa-**  
**crum Corpus colitur in pauperrimo, sed ditissimo**  
**Sacello, ubi & ejus Sepulchrum, & in Conventu**  
**Cella, in qua habitavit in Cœnobio B.V. & Ma-**  
**tris Mariæ de Succursu Valentino.**



UI appenderem vota mea (Aman-  
 tissime Præful) nisi aræ tuæ, quan-  
 tumvis illa exigua, & nullius mo-  
 menti sint? Ab initio Religionis,  
 imò & à fonte Baptismatis no-  
 menclaturæ Thomæ potitus. O  
 fœlicis nominis mihi fœlix prog-  
 nosticum! Abyssus abyssum invo-  
 cat. Thomas interpretatur *Aby-*  
*sus*, inquam humilitatis, Charis-  
 tatis, Misericordiæ, omniumque cœlestium Charisma-

tum. Hæc Abyssus levavit vocem suam , & altitudo manus suas. Tres Sancti insigniores nomine Thomæ colluntur : Sanctus Thomas Apostolus, insignis fide ; Sanctus Thomas Martyr , & Cantuariensis Episcopus , zelo Ecclesiastice libertatis tuendæ invictissimus , nec respiciens carnem , & sanguinem , fortis , & invictus: Thomas Doctor Angelicus puritate , & scientiâ Angelus : quæ in his divisa , collecta tenes , ut quidam ex Patribus Sacrae Rotæ in tui Canonizatione vocitabat.

**Tom. i.** Adhuc vivens alter Paulus , Cereus divini amoris , originum Spiritus Sancti in ore omnium dicebaris : alter Paulus , Vas electionis , Prædicator veritatis , adeò ex suggestu quasi Tuba exaltans vocem tuam , ut tot extuis Concionibus ad vitam perfectiorem commoverentur , ut Religionum Novitiatus ad eos excipiendo non sufficerent. Cereus divini amoris , ardens , & luctans , Dei amore tam fervidus , & flagrans , quippe , qui soleres dicere : *Tibi propè modum tollerabilius videri te in Infernum dimitti , quam Deum non diligere , & præ ignibus , & tormentis illud unum expavescere , quod qui cruciantur in Inferno Deum oderunt.* Proximi verò quasi totus deficiens , ita omnium proximorum necessitatibus compatiens , omnibus omnia factus nihil tibi , sed singulis totus misericordia essem , ideò : *Beatus misericordiam consequutus , quoniam ipse misericors.* Organum Spiritus Sancti , cuius omnes fistulæ in uno pleno vento dulciter sono concrepent , propter quod inscribitur : *In uno spiritu omnes nos;* & quæ harmonia virtutum omnium in te non resonabant pleno ventu afflante Spiritu Sancto ? Omnium operum misericordiæ , spiritualium , & corporalium , omnium Donorum Spiritus Sancti , omnium fructuum , & percurrit singula : hæc ergo abyssus alium invocat abyssum ; abyssus nempe tuæ misericordiæ abyssum nostræ miseriæ : hæc altitudo manus suas levat. Jam ab honoribus abhorrens Episcopatum Granatensem renunciaveras , & nisi ex Obedientiæ præcepto non Valentum admisisses : in schedula nomen tuum inscriptum

**i.ad Co-**  
**rinth. 12.**

tum apparuit dum Carolus V. Imperator ; alterius nomen inscribi jussisset. O altissima Providentia ! dum dubium excitabatur in lege veteri , ut ait Abulensis , inscribatur in charta, quæ relicta in Sanctuario, die sequenti, Dei voluntas reperiebatur inscripta. Quis modò vel fœlicitatem Valentiæ , vel tuas valeat numerare virtutes ? Quanta omitto ? Sanguine proprio, velut Bonus Pastor flagellis armando dexteram Subditos coercebas : ovium, quæ transibant sub virga Pastoris decima destinabatur Sacrificio : sed hæc virga, ut ait Abulensis , colore rubro erat tincta. Sic ovis errans , ut in holocaustum Deo dignè offerretur , de errante convertebatur quasi de sinistra ad dexteram, cum virga tincta Pastoris sanguine percutiebatur. Iterum , quis tuas virtutes repeatat ? Adhuc vivens horrea miraculosè accrescebas , paralyticum in pedes levabas; eleemosynas passim multiplicabas ; tibi tantum avarus , cæteris in dando siti inexplebilis. Quos mentis excessus , quos ecstases inter Beatos adhuc vivens es passus ? Satis sit ille in die Ascensionis Domini integrò duodecim horarum spatio ad Antiphonam nonæ *Videntibus illis* , inter Angelos , eorumque concentus præ dulcedine sensibus destitutus concinens. Veniam tandem ad mortem , quæ talis fuit sicut vita : sicut Christus in Cruce non habens ubi caput reclinares, usque ad cubile pauperi datum, Evangelio S. Joannis auditio, & cum altissima contemplatione meditato, in tuo cubiculo Sacrosanctum Missæ Sacrificiū celebrari voluisti: ad elevationem Sacré Hostię Canticum: *Nunc dimittis inchoasti: ingentem vim lacrymarū profundisti: ad sump-tionem: In manus tuas commendō Spiritum meum protulisti: sic Spiritus in manus Dei commendatus, sic spirasti ipso die Nativitatis Beatæ Virginis, prout ex revelatione accepisti os ad os ex Venerabili Sanctissimo Crucifixo, qui modò in tuo sacro Sacello assertatur, illis verbis: A quo animo esto Thoma, in die Nativitatis Matris meæ venies ad me, & requiesces.* Hæc

**¶** fuit prænuntiatio sex mēnsibus ante. Et Moyses moritur jubente Domino: *In osculo Domini*, ut alia litera habet, super quod Lorinus: quam vim divinam in carne ferre non sustinens, super illud: *Os divinum efflavit animam*. Nunc, amantissime Præsul, qui dum in vivis eras, ajebas: *Noli abominari pauperis illuviem, & nuditatem*, illud habens in mente:

**Tobiae 4.** *Nè avertas faciem tuam ab ullo paupere, tuam promissionem, quâ spondisti, dum è terra proximus morti, jam ferè Cœlum ingrederes, quod plus memoriam haberet in Cœlo, si Deus tibi hanc misericordiam, quam dum in vivis ageres, hanc exercuisses pietatem.* Nunc vide quia pauperes sumus, egeni sumus, & miseri, nudi, & omnium bonorum spiritualium indigentes omnino: In verbo nostram inopiam videbis; divitias misericordiæ tuæ in nos benignus effunde. Tandem in ultimo mortis articulo, in illo periculo transitu tuam misericordiam largire poscentibus.

Nunc verò ad vos, mihi amantissimi Venerabiles Patres, ac Fratres, qui domestici estis in almo, & Sanctissimo Coenobio Sanctissimæ Matris, ac Virginis Beatissimæ Sanctæ Mariæ de Succursu; ad vos, inquam, mea convertatur Oratio. Dicam vobis, quod olim mirabunda Regina Sabà loquebatur servis Salomonis: Audiebam in terra mea potentiam, divitias, magnitudinem Regis Salomonis, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi quod media

**¶ Para-** pars mihi nuntiata non esset: *Beati servi tui, qui*  
**lip. 9. v.** *habitant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.*

**¶** Fœlix est sors vestra, credo quod ubiorem habetis fructum spiritus ex propinquitate venerabilium officium, & memorie suavissimæ illius, cui Ecclesia in

**Ecclesiæ-Officio** adoptat illud Josiæ: *Memoria Josiæ in compositione opus pigmentarii*. Juxta communem sensum ex Angelico Præceptore desumptum, quod immediatus quis ad fontem bibere accedit, suavius, & dulcius de qualitatibus fruitur fontis: ideo Apostoli, quia

immediatores fuerunt Christo ; plus de ejus gratia  
perceperunt. Nostra sacra Religio plusquam si Pala-  
tiis regiis , aut divitiis potiretur , gloriatur Palatiis  
alterius generis non in auro , & gemmis pretiosis glo-  
riatur , sed in virtutibus , in donis , in miraculis tot  
Sanctorum , in quibus nulli sumus secundi. Prima glo-  
ria est in Conventu Ticinensi , vel Papiae , hoc est pri-  
mum & maximum , ubi possidemus inestimabile The-  
saurum , corpus videlicet M. P. N. Augustini , paucis  
ab hinc annis Decreto SS.P. Papæ Benedicti XIII. ex sa-  
cro Ordine Prædicatorum , ex cuius ore tamquam ex  
oraculo Pontificio habemus declarationem , esse sci-  
licet legitimum Corpus Magni Patris. Romæ Corpus  
Beatissimæ Matris , & nostri dilectissimi Patris Augu-  
stini , S. Monicæ , quod ex Decreto Martini V. nobis  
tamquam veris hæredibus adjudicatum est. Tolentini  
in Piceno Corpus Sancti Nicolai de Tolentino , ejus-  
que Brachia mirabilia frequentissimè sanguinem exsu-  
dantia , prout etiam nostris diebus visum est. Mitto  
alia : Corpus Beatæ Ritæ de Cassia aliquando è tu-  
mulo surgens , oculosque aperiens. Beatæ Clæræ de  
Montefalco , aliaque plura. An minoris notæ est Cor-  
pus S.Thomæ à Villanova ? Ex laudibus Patrum Sacræ  
Rotæ habetur , quod cùm transiret quidam ex illis  
per nostram Civitatem , reflexè animadvertisit , quod li-  
cet fabrica sit humilis , nec ornata magnitudine ædi-  
ficii , aliorumve sumptuum , quæ in mundo æstiman-  
tur , tamen dùm accederet , & vix ingrederetur spa-  
tium illud , adhuc distans ab Ecclesia , specialem de-  
votionem interiorem , & teneritudinem animi , ac mo-  
tum devotionis sentiret , quod in aliis visitandis Cor-  
poribus majoris , ac mirabilioris fabricæ non sentiret ,  
quod Romæ existens aliis Patribus sic exponebat. Ergo  
Sanctus Thomas jacens in Sepulchro verè adhuc mu-  
tus loquitur. Ejus ossa , sicut sanguis Abel loquitur ,  
ad exemplum nos vocant ; nos reprehendunt : nonnè  
nos cogit ad majorem observantiam regularem , ad  
majorem perfectionem religiosam ; ad majorem reclu-

sionem in claustrō , & in cella ; ut nōn vituperetur mi-  
nisterium nostrum ; & ut inter omnes agnoscatur, quōd  
habitatis in domo Thomæ , & ipse singula corda vestra  
possidet ? Meritò vituperationi obloquentium obnoxii  
erimus , nec verebitur qui ex adverso est , cogitans  
aliquid habere , licet immitiò , maledicere de nobis.  
Sex annis , diversis temporibus in Conventu Sancti  
Thomæ inquiline fui. Tribus posterioribus indignissi-  
mus officio Prioratus fungens , Deus , qui novit corda,  
scit quæ desideravi. Claudam in solatium verbis, qui-  
bus M.P.N. Augustinus suam Regulam claudit : *Doleat  
de præterito , -caveat de futuro , orans ut sibi debitum  
dimittatur , & intentationem non inducatur.* Amen.

## DECLAMATIO

AD VEN. ET SS. IMAGINEM CRUCIFIXI  
D nostri Jesu Christi , prout colitur in Sacra-  
tissimo Sacello D. Thomæ à Villanova , in  
Conventu S. Mariæ de Succursu Valentino,  
ubi Corpus ejusdem Sanctissimi Pon-  
tificis veneratur.

*Domine , audivi auditionem tuam , & timui. Do-  
mine opus tuum in medio annorum vivifica illud ,  
&c. Habacuc c. 3.*



Deò obscura , & mysteriis obvelata , &  
ænigmatibus occlusa designatur hujus  
cantici scriptura ab Interpretibus , ut  
juxta ipsos præceptum esset in lege ve-  
teri , nè cui usque ad trigesimum æta-  
tis annum ejus lectio permitteretur;  
nè forte in errorem impingeret , propter ænigmata ,  
&

& mysteria ; quod & idem servabatur in aliquibus Scripturæ partibus , ad principium Genesis , ad prima capita Prophetiæ Ezechielis , ad Canticum Cantorum , & aliis quibusdam , quorum ad præfens nunc est sermo. Interim face prælucente Venerabilis , ac Illustrissimi D. D. Fratris Jacobi Perez de Valentia , Episcopi Christopolitani , illiusque Dioecesis Valentinæ Gubernatoris , Inquisitoris , &c. de quo tanto Viro non licet strictim prætereunda narratio : unde infra statim aliquam narrationem instituere decerno. Ejus ergo face prælucente , juxta expositionem illius , tūm & Sanctissimi Antistitis D. Thomæ Villanovani hæc Declamatio explicanda , & applicanda venit. Titulus hujus cantici habet *Oratio pro ignorantibus* , quoniam qui mysteria Crucifixi eleganti prophetiæ stylo , profundissimo mysteriorum ænigmate pertractare cogitabat , non nisi oratione pro ignorantibus , pro titulo apposita , incipere deberet. Materia hujus cantici mirabilia in veteri testamento prænuntiantia Crucifixi victoriam , eloquenti , quasi rhetoris studio eloquentissimè prænuntiare. Ea pari profundissima , & occultissima Passionis Christi Sacra menta eloquentissimo stylo propheticè , tot ante sæcula prænuntiata , in ipsa Passione adimpta , explicare , & adaptare. Tandem ad excitandam gratitudinem nostram , confutandam , & reprehendendam oblivionem , pari prophetico , ac sanctissimo studio sub poena ingratitudinis , præmioque oppositæ gratitudinis à lege veteri ad novam transferendo proponere , & manifestare.

AdRom.

*Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*, 10.4.  
 juxta Apostolum , nec Christus utcumque , sed ut 1. ad crucifixus , ajebat ipse Apostolus. Non enim judicavit , inquit , me scire aliquid inter vos , nisi Iesum Corinth. Christum , & bunc crucifixum. Et iterum : Mibi autem 2.v.2. absit gloriari , nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ad Galat. 6. v.  
 Et iterum : In quo sunt omnes thesauri sapientiæ , & 14. Scientiæ , &c. Quasi qui absorti dolore , gaudio , & AdColo. sens. 2. v. timore dicamus : Jesus meus , & omnia ; quid namque 2.

ex-

extra Crucifixum quæremus; aut quid non in Crucis  
 Habacuc fixo inveniemus? Domine audivi auditionem tuam, O  
 3.v.2. timui: in medio annorum, triginta trium scilicet, qui  
 bus passus est, vel in medio annorum, cum scilicet  
 venit plenitudo temporis, vel in medio vergente ad fi-  
 nem saeculorum vivifica illud: in medio annorum no-  
 tum facies, & ut alia littera; in medio duorum ani-  
 malium in praesepio, & duorum Latronum in Cru-  
 ce, qui medius est in Trinitate, medius inter Deum,  
 Idem v. & homines. Cum iratus fueris, misericordia recordabe-  
 z. ris; iratus pro peccatis, misericordia memor pro infi-  
 nita bonitate. Deus ab Austrō veniet, O sanctus de-  
 monte Pharan: de monte umbroso, quoniam, qui  
 occultus in sinu Patris, qui lucem habitas inaccessi-  
 bilem, quem nullus hominum vidi, sed nec vi-  
 dere potest, qui posuisti tenebras fidei latibulum  
 Idem v. tuum visibilis factus es homo habitans in nobis  
 4 & 5. cum in terris visus es, & cum hominibus con-  
 versatus. Cornua in manibus ejus: (in cruce tres  
 Villano- clavi, timor, spes, & charitas) ibi abscondita est  
 van. Ser. fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors, O egre-  
 de Sanct. dietur Diabolus ante pedes ejus: En ubi more trium-  
 Rom. phantium, triumphalis reddit apparatus, curru trophæi,  
 Ibi v.8. hostis eversi, domitæque mortis, & inferi, reliqua  
 percurre; nam tot sunt mysteria, quot verba. Nun-  
 quid in fluminibus iratus es Domine; aut in fluminis  
 furor tuus? Vel in mari indignatio tua? Elegans  
 quasi poetico stylo: vide Moysēm quasi iratum vir-  
 ga percutientem, & flumina Ægypti, eaque conver-  
 tentem in sanguinem, & mare rubrum ad divisionem;  
 ut pertransiret populus, & voce divina prodigia in  
 cruce, & in virga Moysis primitus figurata. Qui as-  
 cendis super equos tuos::: currus Pharaonis, O exercitum  
 ejus projicit in mare, suscitans suscitabis arcum tuum,  
 arcum videlicet in nubibus post diluvium apparet, &  
 nè ultra diluvium dissipet terram: vide arcum, &  
 benedic eum qui fecit illum.

Agnosce crucem Domini signum foederis inter Deum,

9

& homines. *Fluvios scindes terræ*; viderunt te; O do-  
luerunt montes; terra benedicta Virgo Mater in Cal-  
vario non tantum aquarum gurges fundens lacrymas,  
verum & sanguinem, juxta revelationem factam D.  
Birgittæ: *Ex meis oculis erumpabant lacrymæ quasi san-  
guis è venis*, ajebat. Sol, & Luna steterunt in habi-  
taculo suo, dum ad vocem Josue stetit Sol, pariter  
& Luna, ad victoriam contra Amorrhæos: sic in cruce  
obscurus est Sol, & ab hora sexta, usque ad ho-  
ram nonam tenebræ factæ sunt super universam terram:  
*In luce sagittarum*, ad conterendos Amorrhæorum Re-  
ges, *in fremitu conculcabis terram*. Terra mota est,  
petræ scissæ sunt, deficient à terra fructus. *Ingrediatur  
putredo in ossibus meis*; ab ovili pariter pecus non  
erit: horrebit mundus, infernus infremuit, sive quæ in  
terræ, sive subtus terram cuncta moventur: *Ego au-  
tem in Domino gaudebo, O exultabo in Deo Jesu meo.*  
Quid clarius? Usque ad expressam nominis Jesu pro-  
lationem tot ante sæcula. Jesus Nazarenus Rex Ju-  
dæorum, hic est crucis titulus. Ergo modò inspice, &  
fac secundum exemplar, quod tibi in monte Calva-  
rio monstratum est.

Venite, & ascendamus ad montem Domini, &  
docebit nos vias suas. Tamquam lignum illud, inquit  
Aug. P. ubi fixa erant membra morientis, etiam Ca-  
thedra fuerit Magistri docentis. Quis mihi (ajebat  
Job) tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat  
Omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat, ut in  
humero meo portem illum? O Liber omnia continens!  
signatus sigillis septem, mysteria continens Divinita-  
tis, & Humanitatis, quem nemo dignus inventus est,  
neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram  
aperire, sed nec videre. Liber iste candida agni pelle  
à Spiritu Sancto in utero Virginis exaratus; à Spiritu  
S. approbatus; Patri Æterno dicatus, continens carmen,  
lamentationes, & vœ; literæ nigrae sanguineo atramen-  
to signatae; à Discipulo venditus; distinctione, ac punc-  
tis, spinea scilicet corona formatis; disceptus in Passio-

Idem v.  
9. & 10.

Ibi v. 15.

ne, iterum reimpressus in Resurrectione : si voluerit Sapiens legere , dicet, non intelligo. Si viderit nesciens legere , mysteria penetrabit ; humilis agnus sicco transit vestigio , superbis Elephas mergitur , & quis sacramenta cognoscet ? Quæ puncta ? Quid credendum ? Quid operandum ? Una sit , & sola occupatio , & legere , & meditari , *Beatus, qui novit, quæ in libro scripta sunt* : contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus :: omnes sicutientes , quærentesque sapientiam venite ad aquas ; emite absque argento , & absque ulla commutatione vinum , & lac , veram sapientiam sine errore. Quid proderit totam forbisse Minervam ? Nè quis addat , aut demat ad verba libri hujus : adjiciens ad scientiam , addit ad laborem : hæc ergo , fratres , noscamus mysteria , ut possitis , inquit Apostolus , comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo , & latitudo , & sublimitas , & profundum : hæc sunt quatuor cornua Crucis : longitudo , æternitas ; latitudo , charitas ; sublimitas , providentia abscondita ; profundum , humilitas , in qua fixa fuit hæc Crux ; sublimitas , quâ homines ad sedes Angelorum vehuntur ; longitudo , quâ sine fine beatuntur ; latitudo , quæ etiam ad inimicos extenditur ; profundum judiciorum Dei. O latitudo ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus , & investigabiles viæ ejus ! Ab arbore vitæ , scientiæque boni , & mali , initio Scripturæ in Genesi , ad arborē plantatum ex ultraque parte fluminis in Apocalypsi , ad finem loquente de fine sæculorum afferentem fructus per singulos menses , & folia ipsius in sanitatem gentium , vel virtutes , vel minas , vel exempla , vel mysteria , vel beneficia , hæc erit scientia Sanctorum , hanc illis Deus dedit , ea puncta illa : noverim me , noverim te. Quid cavendum ? Quid agendum ? Hunc librum pro pulvinari habe , sub hoc dormi , excitare à somno , hunc semper cogita , omne quodcumque agis in nomine Domini gratias agens Patri per ipsum ; & talēm scientiam addiscamus in terris juxta Hieronymum , quæ no-

nobiscum perseveret in Cœlis:

Hæc strictim de Crucifixo in se, modò ad illam devotissimam Imaginem, ante quam orabat Sanctissimus Præsul D. Thomas à Villanova, qui ei suam mortem prænuntiavit, cæteraque mirabilia ejus, nostra convertatur oratio. Quis dubitat in arduis negotiorum casibus, atque in omnibus dubiis ad hanc consulendam in secreto orationis, in arcano cordis ad hanc fuisse recursum? Eò fuerunt resolutiones sanctissimæ. In dubiis antiquę legis consulebat Sacerdos, & ut ait Abulensis, scribebat difficultatem in charta, apponebat juxta arcam testamenti, inveniebat solutionem scriptam die sequenti, per fulgorem illorum duodecim lapidum pretiosorum in pectore Summi Sacerdotis consulendo Utim, & Thummin, soluta apparebant dubia: hæc erant oracula in lege veteri. Scriptum apparuit in charta nomen Frattis Thomæ à Villanova, consulente Carolo V. & Secretario scribente ad electionem Archiepiscopatus Valentini, postquam Sanctus renuntiaverat Episcopatum Granatensem. Quid magis necessarium, quām dispositio ad mortem? Etsi tota vita in Præsule nostro dispositio fuerit ad mortem, anima ornata tot virtutibus, & charismatibus, orabat tamen ante hanc Imaginem, ut Deus illi concederet renunciationem curarum, & cogitationem regiminis. Quoniam jam ad Regem scriperat pro hismodi renunciatione; & ecce vox de hac Imagine ad ipsum, sex ante menses: *Æquo animo esto Thomas, in die Nativitatis Matris meæ venies ad me, O requiesces.* Paucis abhinc annis, ut ex testibus majori exceptione dignis, prout audivi ab ipsis, educta hæc imago è Sacello, ubi asservatur, juxta Corpus Sancti Antistitis, in publica processione ob siccitatem, & penuriam aquarum adeò ponderosa facta est, hæc sancta Imago, ut in spatio quasi centum passuum à tribus Sacerdotibus, vel quatuor, successivè vix sustentari potuerit; fatiscentibus viribus, & deficientibus, cum tamen ipsa in se adeò levis sit, ut cons-

picitur. O Domine ! O incomprehensibilia judicia ; & investigabiles viæ ! *Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum*, inquit Apostolus. Nota : super humerum lignum, & super lignum peccata , non immideatè super humerum. Dùm quis supra humerum onus portare habet , ut facilius portet , immediate super humerum blandam apponit materiam , velut parvum pulvinar , ut inde majus pondus facilius portet. Grande pondus Crucis , sed quasi pulvinar parvum super humerum , ut inde immensum pondus peccatorum portari posset. O immensum pondus , unius tantum peccati ! Cùm tamen posuerit Deus in eo iniquitates

**Job 37.** omnium nostrum. *Cœli* , ajebat Job , *solidissimi quasi ære fusi sunt*. Dùm tamen peccavit Lucifer cum cæteris Apostatis Angelis , sicut fulgura de Cœlo cædantia , ad profundum Inferni delapsi sunt , quasi non potentibus Cœlis talia pondera sustinere. Ingressus est Jonas inobediens mare , & navis periclitabatur consteri , quot circulos in fluctibus , tempestate , ac ventis contrariis flantibus , jam ascendebat usque ad nubes , jam descendebat in profundum. Dejectus est Jonas inobediens in mare , & cessavit ventus : quoniam cessavit pondus inobedientiæ Jonæ. Ut quid

**Lucæ 13.** terram occupat , dixit Pater familiæ procuratori vineæ, loquens de ferculnea infructuosa , vel ut alia litera habet , ut quid terram onerat , quia typus erat peccati. O quām immensum peccatorum pondus ! Josias Rex piissimus purgavit altare , combussit lucos in quibus vacabant populi peccatis , & fornicationibus , omnesque cineres projectit in torrente Cedron. O Domine piissime , qui in torrente Cedron orans præ agonia spiritū es sanguineo sudore perfusus ! Quoniam posuit in te Dominus iniquitates omnium nostrum. Iterum hæc sanctissima Imago sanguineo sudore est perfusa , S. Thoma coram illa orante , dum Sacerdos in carcere constitutus tentationi ferè succumbens cogitaret laqueo se suspendere. Hæc S. Thomas advertit , & interius inspirante Deo , causam

13

sam agnoscit, in carcerem descendit, & liberatus est à suspendio reus. Ecce peccati pondus, sed ad voces mirabiles hujus Sanctæ Iconis apponamus auditum; qui habet aures audiendi, audiat. En humanas voces profert. Inter alia mirabilia ante desolationem Jerusalem, in prognosticum illius omnino desolationis propter majus peccatum mortis Christi, refert Josephus de Antiquitatibus, auditæ sunt voces de Tabernaculo dicentes: *Migremus hinc, migremus hinc;* & egrediens columba de Tabernaculo, exivit de Templo, quasi deserens locum, minansque majus suppli-  
cium. *Quis scit, si me habitante in hoc cœtu propter  
mea peccata, certus sum, quia dignus sum, quasi  
Deus nisi ob summam misericordiam, hunc desere-  
ret locum, sed revertar ad cor, dicamque Dei adju-  
tus gratiâ: Pater, peccavi in Cœlum, O coram te: non  
sum dignus vocari filius tuus: habe me sicut unum de  
mercenariis tuis.*

Lucæ 15.  
v. 18. &  
19.

## DIGRESSIO BREVIS

DE VENERABILI, AC ILLMO. D. D.

Fr. JACOBO PEREZ DE VALENCIA,

EPISCOPO CHRISTOPOLITANO,

hujus Archiepiscopatûs Gubernatore, & In-  
quisitore, primogenito dignitate, sapientia, &  
virtute, hujus Regalis Conventûs filio.

*Ruben primogenitus meus, fortitudo mea: prior  
in donis, major in imperio. Gen. 49.v.3.*

**Q**uoniam tanti Viri mentionem fecimus, non  
strictim prætereunda hæc narratio, quoniam  
& expositionem præcedentis Cantici Habacuc, ex hujus scriptis desumpsimus. Mundo  
ergo natus Ayoræ Episcopatus Oriolensis anno 1408.

Sum-

Summo Pontifice Innocentio VII. Imperatore Romanorum Friderico III. Regnorum Aragoniae habenas teneente Rege D. Martino; cuius natalis dies ignoratur ob incuriam, & defectum libri, in quo baptizati debent designari. Quoniam autem, ut Jeremias ait:

Threno-  
rum 3. v.  
27. & 28.

*Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.  
Sedebit solitarius & tacebit: quia levavit super se. Hæc omnia perfectissimè adimplens, demonstravit ab usu rationis, quām fœliciter in sortem Domini esset electus: humilitate, mansuetudine, puerilia declinans, assidue in Templis oratione, & solitudine delectatus: quæ in Missa, & Concionibus à Sacerdotibus videbat fieri, æmulatus, ad cæteros pueros è loco superiori verba faciebat, sacras Missæ cæremonias imitabatur, à pueris oblationes accipiebat, quas postmodum inter pauperes partiebatur.*

His, & aliis exercitationibus sanctissimis, pueritiam transactâ, ut adolescentiam virtutibus, & studiis exornaret, visâ à Patribus Joanne Perez, & Domina Francisca Gil de Marazo, nobilissimis quidem virtutibus, eleemosynisque liberalissimè deditis, ejus optima indole, Valentiam misserunt studiis, & litteris excolendum optimâ spe, quâ nec sunt frustrati, optimos fructus sapientiæ, & virtutis colligendi: & quidem quantum in his profuerit, sint ejus opera testimonia. Declinare cupiens laqueos mundi, ad Religionis portum se recepit, dato nomine in hoc Religiosissimo Conventu S.P.N. Augustini Valentino, ejus observantiâ, Vitorumque Religione, & zelo fulgentium, eorum exemplo illum trahente, Deoque Optimo, & Maximo sic disponente, ut in hoc zelo, exemplo, & honore tamquam sidus majoris magnitudinis effulgeret. Professione emissâ, non vacat virtutes ejus in speciali annumerare: inter cæteras, piissima devotio erga B.V. M. Mariam sub invocatione de Gratia, quæ Patrona, & Titularis est hujus Conventûs, dum ut creditur Angelum peregrina specie dedisse Fratribus in Fundatione, dicens: *De vobis de gratia, juxta viam Conventûs, quæ*

ex nomine ejus vocatur *de Gratia* usque hodie. Hanc Sanctissimam Imaginem speciali cultu, & veneratione colendam, sibi elegit in Matrem, & se ipsum adoptavit in filium. Effundebat Beatissima Virgo in omnes liberalissime sua munera; nam omnes vidimus parietes, claustra, quæ circumdant, ornata donatiis, muneribus, navium arboribus, cæterisque pendentibus ex beneficiis acceptis à Beatissima Virgine. Coram hac Imagine die, ac nocte genuflexus, suas fundere preces in consuetudine habuit devotus Fr. Jacobus: unde, & modò sepulchrum ejus coram ejus Capella est collocatum, habens ad dexteram Beatissimæ Virginis Sacellum, & ex ejus devotissimo cordis affectu, deprompto ex ejus corde, dum postea in ejus scriptis se offert de ipsa differere, meruit vocari *Doctor Marianus*; prout in processu Beatificationis, de quo infra. Officiis, & muneribus Religionis ab ipsa honoratus Prioris hujus Conventus, S. Mariæ de Aguas vivas, S. Sebastiani de Rocafort, & aliis, Episcopo Valentino D. Roderico de Borgia, qui fuit postea Alexander VI. cui notæ erant virtutes, atque sapientia Viri, nominatus, & electus in Episcopum titulo Christopolitanum, suffraganeū Valentinum, Oriolensem, Carthaginensem, cuius gubernium, & regimen accepit ab ipso Romæ degente, & usque dum postea ad Sedem Summi Pontificis fuit electus. Obiit die 30. Augusti anno 1490. in Palatio Archiepiscopali, indeque adductus in Conventum S.P.N. Aug. & imitatus M.P. Aug. testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Christi non habuit. Omissis modò virtutibus, & exemplis, in Præsulatu, quibus effulgit, dicamus breviter, quæ ex ejus scriptis apparent, prout ex processu ad ejus Beatificationem compilato, gravissimi testes infra nominandi testantur. Scripsit super totum Psalterium, apposito Rege David super librum, quoniam sufficienti cum fundamento habetur, ipsum David ipsi adfuisse dum scriberet; scripsit super omnia Cantica, tum Scripturæ, tum Ecclesiæ; super Cantica Canticorum;

con-

contra Judæos specialiter , & in omnibus Psalmis spiri-  
tu fidei relucente ; contra omnes errores Paganorum,  
Judæorum , & Hæreticorum acerrimè disputante co-  
ram , & in scriptis contra omnes , quorum plures con-  
vertit. Duo processus compilati sunt ad ejus Beatifi-  
cationem ; primus deperiit in generali turbatione hu-  
jus Regni tempore dicto : *De Communitatibus, & Ger-  
maniis.* Alter servatur in Archivo Archiepiscopatus  
Valentini , quem apud me habui. Testes omni excep-  
tione majores Illustrissimus , & Reverendissimus D:  
D. Franciscus Lopez de Mendoza , Episcopus de Elna;  
& Illustrissimus , & Reverendissimus Dominus D. Joa-  
nes Garcia , Episcopus Oriolensis , atque Reverendissimus  
P. Mag. Fr. Vincentius Montalvàn , Generalis  
Ordinis D. Hieronymi , & Dr. Balthasar Primo, Mon-  
tesianus ; Regius Capellanus , & Rector de Monca-  
da , atque Reverendissimus Abbas Claratavalensis , qui  
omni curâ , & diligentia expetivit hujusmodi ope-  
ra , eaque de novo prælo mandavit circa annum 1505.  
Parisiis , ut Gallias ditaret , unà cum operibus D. Ber-  
nardi , non casu , sed providentiâ ; sed ut ipse ait ;  
quoniam stylus , spiritus , reliquaque omnia redolent  
Bernardum , ita ut apud illos fuerit in proverbium :  
*Quoniam idem spiritus spiravit utrumque , eorumque ca-  
lamum duxit.* Et tamquam fratres , idem videatur in  
illis loquutus idem spiritus. Alii verò communi elo-  
quio comparandum esse Aug. Parenti , in impug-  
nando errores hæreticorum , horumque fallacias re-  
fellendo , at in vita mixta ex contemplativa , & activa.  
Ex ejus lectione miros effectus experiri , quos nisi in  
Moralibus D. Gregorii , in Sermonibus D: Joannis  
Chrysostomi , & in operibus aliorum SS. Patrum , tūm  
humilitate , & sapientia , Angelicum Doctorem imita-  
ri , & cùm scientia inflet , hanc cum humilitate so-  
ciavit , ita ut dici possit quod de Doctore Angelico :  
*Pestiferæ superbiæ numquam persensit stimulum.* Hæc ,  
& alia quamplurima apud ipsos.

17

In quadam Capella hujus Conventū erat Imago depicta Ven. Servi Dei, quomodo in Claustro videatur appensa: ibi appendebant vota eorum, qui recurrentes ad ejus intercessionem in necessitatibus confitebantur beneficia accepta, & votorum compotes facti: hæc omnia per Bullam Urbani VIII. *De non Cultu*, ablata sunt. Aliqua referuntur miracula in libro vitæ suæ.

**INSCRIPTIO, ET EPITAPHIUM SUPRA  
lapidem sepulchralem ita habet.**

REVERENDUS I. D. D. JACOBUS  
PEREZ DE VALENTIA, AUGUSTINIANUS  
MONACHUS, PSALMORUM INTERPRES,  
**CHRISTOPOLITANUS EPISCOPUS, JACET HIC;**  
**OBIITQUE ANNO DOMINI 1490.**

Locus sub gradibus majoris Altaris, ibique appositus per manus S. Thomæ à Villanova anno 1550. elevatus supra terram intra ipsum Sepulchrum, ego ipse vidi, & quilibet alias videre potest, circulus ferreus Sepulchrum ambit, quem nos pro nostra tepida devotione renovavimus, cum pluribus jam annis oblivioni data fuisset hujusmodi memoria circuli, in renovatione Templi omnino ligneo circulo diruto, de quo ferè nulla memoria, nisi apud unum, aut alterum remanebat, cum nos præ senectute memores hujus fuissimus, ne omnino periret, de novo erendum curabimus.

Philippo Secundo Hispaniarum Rege anno 1586: visitante hujusmodi Templum, percunctante de loco sepulturæ Illustrissimi Fr. Jacobi Perez, cum demonstratum fuisset à Fratribus, dixit: *Patres, hic adest Sanctus ignotus.*

Ergo modò: Ruben primogenitus meus, fortitudo mea; prior in donis, major in imperio, te invocat, ac corde supplici orat tua Mater prædilecta Re-

ligio, hicque noster sacer Conventūs, quæ sicut Ma-  
ter filium primogenitum sapientiā, dignitate, & vir-  
tute diligit. Tu prior in donis, & major in imperio  
è Cœlo, ubi piè confidimus te regnare, ad fratres ocu-  
los misericordes converte: attende ad petram unde  
existi, & ad cavernam laci de qua præcisus fuisti,  
& per Abraham M. P. Augustinum, qui dicebat  
filiis suis: *Ego sum Abraham Pater vester*; quoniam  
sicut ille in Mysterium Trinitatis meruit tres videre,  
& unum adorare, & in specie Peregrini hospitem  
habere, & ad mensam invitatum, sic N.P. Abraham  
meruit videre in carne Filium Dei, hospitem habe-  
re, & postquam lavit pedes ejus audire: *M. P. Au-  
gustine, hodie meruisti in carne videre Filium Dei; ti-  
bi commendo Ecclesiam meam.* Attende ad Saram, quæ  
peperit te, ad S. Matrem Monicam, veram illam vi-  
duam, Augustini dupliciter Matrem, quippe quæ eum  
mundo, & Cœlo peperit. Unà cum his, quia natus  
es homo Princeps fratum, & quoniam fratres su-  
mus, tua in nos dona multiplica; specialis cura est  
Sanctis de corporibus suis, & ubi è Cœlo vident lo-  
ca sepulchri, habitatoresque lacrymari, ad pietatem  
vertuntur. Hic spectant universalem resurrectionem:  
vide ergo necessitates, & labores nostros. Dicemus  
cum Augustino: *Fœlices Sancti Dei, qui jam pertransi-  
stis hujus mortalitatis pelagum, & pervenire meruistis ad  
portum perpetuæ quietis:* obsecro vos per vestram cha-  
ritatem, qui securi estis de vobis, solicii estote de  
nobis; securi estis de vestra multiplici gloria: solici-  
ti estote de nostra multiplici miseria. Estote jugiter  
memores nostri, subvenite nobis miseriis, qui adhuc  
in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis;  
videte nos lacrymantes, tot, tantisque periculis valla-  
tos, & liceat ad portum salutis pervenire, ubi sub  
umbra, & pallio M. P. perpetuâ lætitiâ, & pace læ-  
temur. Amen.

# DECLAMATIO III.

## LAPSI AD POENITENTIAM.



*OLEO super te, frater mi Jonatba, deco-* 2. Regū  
*re nimis, & amabilis super amorem mu-* c. i. v. 26.  
*lierum. Sicut Mater unicum amat filium*  
*suum, ita ego te diligebam. Plangebat*  
*David Jonatham: Conglutinata est ani-* 1. Reg. c.  
*ma Jonathæ animæ David. O si anima,* 18. v. 1.  
*spiritus noster conglutinaretur spiritui Dei! O si quis*  
*verè possit dicere, ut ajebat Paulus: Vivo autem* Ad Ga.  
*jam non ego, vivit verò in me Christus! Et iterùm:* lat. 2. in  
*Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum; sed* c. v. 20.  
*in Evangelica lege, quâ gratia uberiùs diffunditur,* Ad Phi.  
*quô dilectio, & amor abundantius operantur: In* lipp. c. 1.  
*me manet, & ego in illo, & qui manducat me, &* v. 21.  
*ipse vivet propter me. Anima omnes operationes, &* Joann. c.  
*motus in singulis membris exercet, ipsa in omnibus* 6. v. 57. &  
*proprios actus elicit. Sicut anima est vita corporis,* 58.  
*ajebat M. P. Aug. ita Dominus est vita animæ. Quid*  
*est corpus sine anima? Quid anima sine Deo? In ipso* Actorum  
*enim vivimus, & movemur, & sumus; ipsa est intimior* c. 17. v.  
*intimo nostro: ergo sine Deo mortui sumus, in Deo* 28.  
*vita vivemus, intus est in anima nostra. Quærebam*  
*te foris, prosequitur Aug. ideò non te inveniebam,*  
*sed plus perdebam.*

Veniam autem ad rem: *Hora est, jam nos de* Ad Rom.  
*Somno surgere, intonat Ecclesia Sabbato ad Vespertas* 13.  
*Dominicæ I. Adventûs. Hoc est ex Apostolo desump-*  
*tum, & prosequitur: Nox præcessit, dies autem ap-*  
*propinquavit: sicut in die honeste ambulemus, non in*  
*comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, &*  
*impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum,*  
*& carnis curam nè feceritis in desideriis. Præclaris-*  
*ma Virgo, & Martyr Sancta Cæcilia, Romana nobilis-*  
*sima, die, quâ sperabat se immolandam esse in ata*

martyrii, ad suum sponsum Valerianum, cum quo etiam  
in perpetua virginitate permanserat, cum Tiburtio  
simil fratre, illa die desiderabiliori, quā ad Cœlum  
sperabant evolare, cùm Aurora finem daret, exclamabat: *Eja milites Christi, abjicite opera tenebrarum:*  
*nox præcessit, dies autem appropinquavit, Oe.* Sed  
magis nobis ad cor: hæc sunt verba in quæ in sua  
mirabili conversione stratus sub fico ad vocem illam  
puellæ canentis, & voce delapsa de Cœlo, *tolle, lege,*  
arrepto codice facto Aug. Patens incidit, & statim  
quasi luce infusâ securitatis, ab eo omnes dubietatis te-  
nebræ diffugerunt: *Non in comedationibus, O ebrie-  
tatis, Oe. Nox præcessit, Oe.* Memini me legisse  
sub his verbis tria Religionis professionis vota, insi-  
nuata fuisse Aug. non in cubilibus, & impudicitiis:  
en votum castitatis: carnis curam nè feceritis: en votum  
paupertatis: non in contentione, & æmulatione:  
en votum obedientiæ: & satis de hac re; comedere,  
& ruminare: nam ut ait Scriptura: *Animal, quod non  
ruminat immundum est;* sed quo ibimus Domine, per  
quam viam pergemus? Tu es via, variæ, & multæ se-  
mitæ; sed ad te tamquam ad centrum, & in te quies-  
cunt. Tu es via, veritas, & vita, præcipue in Cruce  
actus, ac proinde solùm in te tendo, & in te quiesco:  
O mi Jesu Crucifixe, cùm impetit inimicus, cùm sa-  
gittæ carnis potentis mihi bellum ingerunt, ajebat M.  
P.Aug. ad tua vulnera fugio, montes excelsi Cervis  
petra refugium herinaciis, columba in foraminibus pe-  
træ, *O in caberna maceria:* ibi me abscondam à vul-  
tu iræ tuæ. Quid queram, quod in Crucifixo non  
inveniam? Peccato medelam, morti vitam, tristitiae  
lætitiam, & quidem in sanguine tuo *projectus est ac-  
cusator fratrum nostrorum, O ipsi vicerunt eum prop-  
ter sanguinem agni.*

Ergo ascendam in palmam, idest in Crucem, &  
apprehendam fructus ejus; sub umbra illius, quem  
desideraveram sedi, & fructus ejus dulces gutturi meo;  
à Cruce nequitem averti, *tenui eum, nec dimittam, do-*  
*nec*

M. Ribe-  
ra in vita  
S.P. Aug.

Levit.  
1. v. 26.

nec introducam illum in domum matris meæ ; & in cubiculum genitricis meæ , idest in gloriam : ibi dabis poculum ex vino condito , & mustum malorum granatorum meorum , sed eamus sub umbra , & quiescamus , inde non avellamur ad annuntiandam veritatem tuam , per diem , & noctem canticum ejus. Hic liber, ajebat Job , pendens ad pectus meum. Quis in hoc mari non mergatur ? Quid si mihi linguæ centum forent , oraque centum diabolus , & infernus vinceti in triumphali crucis curru, nihil in me potuerunt , sed quid cogito Cœlum palmo concludere ? Tribus clavis pendet , qui tribus digitis appendit universam mollem terræ , in Calvario monte fortis bellator , & exercituum Dominus ecce cum dracone rufo , & capitum septem bellum fecit. Septem capitalia vitia , & vicit , & subjicit , & nobis vincendi arma præbet , superbiam suâ profundissimâ humilitate , luxuriam carne flagellis contrita, iram mansuetudine, gulam aceso , felleque , & acediam dilectione , ac fervore ardentí , &c. Ergo sat mihi sit, quia te diligo Deus meus super omnia : quia cor contritum , & humiliatum tibi offero , tu mihi totus , tu mihi solus , & ego tibi totus , & solus. Hæc usque ad mortem.

## DECLAMATIO IV.

### AD IDEM.



UIS dabit capiti meo aquam ; & oculis meis fontem lacrymarum , & plorabo die , ac nocte ? Postquam redacta est Civitas Jerusalem in captivitatem , sedit Jeremias Propheta , & flens , ac ejulans suas Lamentationes , Threnosque composuit , sique incipit , ut ait textus : Aleph : Quomodo sedet sola Civitas , &c. Beth : Plorans ploravit in nocte , & lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam

Jerem. 9.  
v. 1.

Thren. x.

- Threnor. 2. v. 18. *eam ex omnibus charis ejus.* Sed quid de lacrymis proferam, quarum tota vis, & utilitas ad delenda peccata deseruit? *Deduc,* prosequitur textus, *quasi torrentem lacrymas per diem, O noctem, O non taceat pupilla oculi tui.* Perambulabo prata Scripturarum: sed non ad pascenda ingenia; sed ad deploranda peccata unicè properamus. Unum tantùm exemplar nostrum attendamus Christum, non tantùm Redemptorem, sed & Magistrum, & Doctorem, qui multoties flevit, numquam legitur rixisse; & ut piè dicitur adnotasse S. Vincentium Ferrarium, numquam legitur flevisse in brachiis suæ dilectissimæ Matri Mariæ. Sed numquid flevit vel Civitates destructas, vel divitias amissas, aut quidquid aliud inter tot anfractus rerum ab Orbe condito adusque finem ejus? Numquid, inquam, hæc desflevit? Non, sed vel qui *in similitudinem hominum factus, O habitu inventus ut homo, primam vocem similem omnibus emisit plorans, nec enim quisquam ex Regibus aliud habuit nativitatis initium;* vel decursu vitæ dum Lazarum restituturus ad vitam flevit, & infremuit spiritu, quia iterum redibat ad vitam. Pariter videns Civitatem flevit super illam: quia *si cognovisses O tu, O quidem in hac die tua.... quia venient dies in te.* Tandem in egressu vi-  
tæ cum clamore valido, *O lacrymis emisit spiritum.*
- Ad Phi-  
lipp. 2. v.  
7. *Psal.* Et de hoc satis: lacrymatum fletus tota die, & tota nocte, nihil aliud usque ad finem protrahendum. Sed quid perdidimus? Uno verbo: Deum in quo omnia: quid frustra decipimur? Quid tibi in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam: *Duo mala fecit Populus meus: me dereliquerunt aquæ fontem vivæ, O foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Obstupecite Cœli super hoc. En duo pecati dignos deplorandi effectus: aversio à Deo, & convertio ad creaturam. Scito, *O vide, quia malum, O amarum est, dereliquisse te Dominum Deum tuum.* Sed inspiciamus singula: quid est, à Deo averti? Quid est, anima dilecta ad te converti? Quid est tu?
- Luc. 19. 42.  
Jerem. 2. v. 12. &  
13. *Ibid. v. 19.*

tu? Quid est mihi? Tu mibi lavas pedes? Noverim me.  
*Noverim te.* Ista sunt juxta mentem M.P.Augustini duo  
extrema in infinitum distantia. Hæc sunt juxta Theo-  
logorum commune placitum quæ infinitatem refun-  
dant in offendam, aut ad minus (juxta alios) ordi-  
nem superiorem, ad quem nulla creatura, sed nec  
omnes simul quantumvis gratiâ ornatæ, ad satisfa-  
ctionem pertingere possunt. Dubitari potest qualiter  
culpa, quæ in instanti admittitur, æternam merean-  
tur poenam? Respondetur: Vel primò, quia per to-  
tam æternitatem peccatum retractari non valet. Dein-  
de: quia cùm creatura non sit capax infiniti, pri-  
vatur infinito bono, scilicet Deo, & æterna dura-  
tione punitur, ut ex his capitibus infinitæ, aut su-  
perioris ordinis offendæ correspondeat poena. Sed quid  
est Deus? Omnium perfectionum cumulus. Ens à se,  
Creator omnium à supremo Angelo, usque ad mini-  
mum foliolum. Conservator omnium ab instanti crea-  
tionis, quot sunt, fuerunt, & erunt. Si roges: Quid  
Deus ante mundi creationem? Licet hæc in profun-  
do silentio veneranda sint, audi quid ejus opus: *Tu*  
*cum principium in die virtutis tuae in splendoribus San-*  
*ctorum ex utero ante luciferum genui te.* En proces-  
sionem æterni Verbi à Patre; sed quid est ante lu-  
ciferum? Lucifer ille prima perfectione creatura de  
quo Ezech. cap. 28. *Tu signaculum similitudinis, per-*  
*fectus in decore: omnis lapis pretiosus indumentum*  
*tuum in medio Paradisi, &c.* Sed quid de te Deus  
in æternitate? Quid cogitabat de te? *Videbam Sata-*  
*nam sicut fulgor de cœlo cadentem.* Quomodo cecidi-  
sti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Hoc opus  
ab æterno in mente Dei. Dic nobis, ô cœlestis Do-  
mina, Dei, Angelorum, & hominum Mater, Magi-  
stra humilitatis, dic nobis: *Fecit potentiam in bra-*  
*chio suo: dispersit superbos mente cordis sui.* Hæc co-  
gitatio Altissimi ab æterno: *Deposuit potentes de sede,*  
*& exaltavit humiles.* Sed rursus quæro: Quid Deus?  
Interrogatus quidam ex Philosophis antiquis: Quid  
erit?

Joan. 13:  
v.6.

Psal.  
109. v.4.

Luc. 10.  
v.18.

Cantic.  
Magnif.

ergo Deus? Relinque terræ, ascende ad supernæ: Nonnè hæc omnia viliissima sunt? Nonnè super ista supernus ordo plus distans à terra, quām omnia terrena inter se? Nonnè ordo gratiæ supra ordinem naturæ? Nonnè ordo gloriæ? Nonnè ordo hypostaticus? Considera singula, & videbis quid perditio Deo perdidisti, ut scias quanto dolore dolendum, quantisque lacrymis deplorandum. Usquemodò de Deo Authore naturæ. Vide modò, & considera Authorem supernum. Vide Moysem in Horeb operientem faciem, eamque terræ hærentem; Ezechiem; Daniel; Joannem in Apocalypsi; videque omnes cæteros: quia Dominus in medio rubi, vel in alia quædam specie illis apparebat. Immota in his: fac tibi sicut columba nidum in caverna maceriaræ: habita ibi diebus ac noctibus: immorare in his, & anima dilecta, quæ cogitas in cœlum æternaliter sine interruptione Deo frui; habita in terra per fidem: cogita abyssum sine termino, abyssum sine fine. Orationi succedat lectio, lectioni oratio, ajebat Mellifluus Bernardus. Hoc opus totum tuum: nè distrahas ad alia; grandis tibi restat via: tantum in morte quietes.

Sed si hæc brevissimè de Deo dicta, si tantum aqua ad labia pertingit, ut sitim accendat, non ut extinguat, ut dicere possis cum David: *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sicut sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Descende nunc ad te ipsam: filia Babylonis misera, denuda crura, ostende ignominiam tuam: frons meretricis facta est tibi, nolusti erubescere. Jam Deum à quo aversa fuisti in satis opertis umbris perspexisti. Vide modò qualis materia immensa lacrymarum. Dic modò quænam tu, quæ despexisti. Dic & propter quid? dic & quanto tempore: pondeta omnes, & singulas circumstantias tuas; sed parce: priusquam ad hæc pertingas, oblivio fecit me præterire, quid in Deo amplius cogitare debes.

Co-

Cogita Deum Judicem vel in gloria ; vel à gloria avertentem te , vel in profundum inferni detrahem-  
tem te , quia vilis , & despecta es : non dilectione accenderis ? Retrahat te timor : *Quis ex vobis habi-  
tare poterit in inferno cum igne devorante , & cum ardo-  
ribus sempiternis ? Revertere ad cor tuum. Nonnè con-  
scientia tua iniquissima infernus contractus est ? O con-  
scientia iniqua ! Infernus intra te est. Ibi ignis ardens  
concupiscentiæ , fœtor , & putor quasi malæ famæ ;  
teterimus odor , vermis conscientiæ semper mordens ;  
servies Diis alienis , qui non dabunt tibi requiem die,  
ac nocte. Fugies nullo persequente , sed nec à te ipso  
averteris temporales pœnas, dedecus, infamiam, omnia-  
que mala temporalia patieris, quod non in re, in timo-  
re substinebis. Hic est infernus portatilis. Sed perge mo-  
dò ad æterna. O infinites misericors Deus! *Misericordiæ  
Domini, quia non sumus consumpti : quia non defecerunt  
miserationes ejus.* Dic, intona, M. P. Augustine : quare  
statim cùm peccavimus , in infernum non detrusi su-  
mus? *Misericordiæ Domini, quia non sumus consump-  
ti : quia non defecerunt miserations ejus.* Cùm te Deus  
substinebat, infinitos condemnabat ; & si vis insipien-  
tiā parūm avertere , scito , & vide, tot sunt pecca-  
ta tua , quot si in millies dividirentur , ad mille suf-  
ficerent in infernum , quinimo etsi in mille , qui jam  
torquentur , & in æternum torquebuntur , plura sunt  
in te solo peccata , quam in omnibus aliis. Quid er-  
go faceres modò , si jam clausus in abyssō , nulla pro-  
te esset remissio? Jam te portæ æreæ , & vectes fer-  
rei constringerent ; jam diceres : *Clausa est janua. In  
inferno nulla est redemptio.**

Perge modò , & parum siste gradum. Vide quan-  
ta materia lacrymarum , & quanta ratio dolendi. Quis  
es tu , qui ausus fuisti ; sed & quanta ausus , quibus  
circumstantiis , quanta neglexisti ? Dic mihi , quibus  
circumstantiis : quis, quid , cur, ubi, quomodo , quan-  
do. Perpende singula: Quid homo ? Putredo , filius  
hominis vermes : Levasti manum tuam contra Deum,

D

&amp;


 Isai. 33:  
v. 14:

& contra Omnipotentem roboratus es. Despexisti Crea-  
torem tuum , factorem tuum ; noluisti misericordiam  
ejus: non timuisti justitiam ejus ; dixisti in corde tuo:  
*Non est Deus. Non videbit, neque intelliget Deus*  
*Jacob ; circa cardines Cœli perambulat, & nostra non*  
*considerat.* Sed quid , vel propter quid ? *Violabant me*  
*propter fragmen panis, & pugillum hordei.* Velut Esau  
reprobis vendidisti primogenita propter legumina vi-  
lia, & abiisti parvipendens , & gaudens , quod primo-  
genita vendidisti. Sacrilegus quidem , quia primogeni-  
tura sacra erat, quia Sacerdotium annexum erat pri-  
mogenituræ. Sed ecce dies luctus , & mortis venient,  
& misericordiam non invenies , quantumvis cum la-  
crys , & magnis rugitibus , sicut Esau clamando,  
quæras. Quasi Antiochus in lecto jacens , dolens quod  
sibi non evenisset sicut cogitabat fieri , periit tristi-  
tia magna , nec invenit veniam , quamquam cum la-  
crys quæsivisset. Sed quibus circumstantiis ? Quo-  
to tempore ? Quâ duritiâ cordis ? Unum cogita : ad  
tremendum Sacramentum Altaris sacrilegè accessisti.  
Quid dicam ? Reverttere Virgo Israel ad Civitates  
tuas: revertere ad te ipsam ; vide quasi prodigus,  
ut revertaris in te , quod distans eras à te ; vide  
quia longe à Deo in regione dissimilitudinis , ut  
ajebat Magn. P. Augustinus , invenisti te ; reverte-  
re ad cor tuum , dole de præterito , cave de futu-  
ro ; ora , ut tibi debitum dimittatur : ora sine in-  
termissione usque ad mortem , nè inducaris in ten-  
tationem. Vide qualia , & quanta sunt doloris , ac  
declamationis motiva ! Michæ viro de monte Ephraim  
furati sunt latrones Deos aureos , & argenteos : cùm-  
que fugerent , insequebatur eos Michas clamans; cui  
dixerunt latrones: Quid clamas post nos ? Quibus ille:  
Deos meos tulistis , & dicitis mihi : Quid clamas?  
Sic & illud Abrahæ : Da mibi animas : cætera tolle  
tibi. Amen.

# DECLAMATIO V.

AD SS. ET INDIVIDUAM UNITATEM  
Dei , Trinitatemque Personarum.

*In principio creavit Deus Cœlum , & Terram.*  
Gen. I. v. I.



Oyses Pentateuchi auctor primis verbis; licet ænigmatibus , & involucris , prout Majestati decebat , tūm quia populo rudi ad idololatriam prono , loquebatur , statim de Unitate , & Trinitate Dei loquitur ; quoniam omnis nostri sermo ab ea tamquam à principio , tūm in progressu , tūm in fine , sicut omne esse , ita & omnis cognitio , fides , amor incipere , & quiescere habent : *In principio creavit Deus Cœlum , & Terram:* Gen. ii.  
*Deus , Pater in principio , in Filio creavit in singulare propter unitatem essentiae : spiritus Domini ferebatur super aquas.* En perfectam Unitatem , Trinitatemque Personarum. Procedamus modò ab hoc principio ad omnia , & singula inferiora , usque ad minutissima quæque. Vide ubi non invenies potentiam , sapientiam , & amorem. Hoc vestigium , imaginem , & similitudinem designat , ad quam specialiter creatus est homo. Vestigium in communi explicat speciem , non plus : imago jam singularitatem attingit ; similitudo verò quasi quæ non variat ab imprimente signaculo , sed incommutabilis perseverat , & characteres ad intra , & vacuam imaginem in sigillo à trasumpcio repleti designat , majoremque similitudinem explicat. Ex quo omnia , per quem omnia , in quo omnia , ipse Moyses dūm postmodūm in rubo appa-  
ruit Dominus , dicensque : *Ego sum , qui sum , Deus Abraham , Deus Isaac , & Deus Jacob , operuit fa-* Exod. 3.  
*ciem,*

ciem; nec audebat respicere contra Dominum, unde ultra, cum ascendit in montem, loquens, sicut homo ad amicum suum, occlusus in nube, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, aut gloriam vidit, vel prout ipse Deus dixit, non prout ad alios Prophetas, sed sicut homo ad amicum, loquutus est: sic Abraham tres vidit, & unum adoravit; Jacob facie ad faciem Deum vidit, habet textus. De aliis Prophetis disputant Theologi. Paulus in raptu, aliquique maximæ perfectionis, apud ipsos sint sua privilegia salva; nos autem fratres, infirmi, fragiles, mortales, sat sit oculis fidei velatis credere: *Quoniam*

*Prover. nisi credideritis, non intelligetis: scrutator Majestatis  
25.v.27. opprimetur à gloria.* Et tu M. P. Augustine, cui datum est, & de Trinitate altius loqui juxta illud: *Augustinus est in altissimo solo, ubi disputat de gloria Trinitatis;* aut juxta D. Paulinum: *Vidimus Venerabilem P. Augustinum, quasi Seraphim divino amore inflammatum, conjunctum SS. Trinitati.* Et cui Parvulus ille ad litus maris cogitationes de Trinitate exposuit symbolo volentis pugilo totum mare comprehendere; cui Christus in Peregrini forma Ecclesiam suam commendavit dicens: *Magne Pater Augustine, tibi commendabo Ecclesiam meam.* Verbis, inquam, tuis Trinitatem invoco, ejusque juvamen imploro: Domine Deus meus, unica spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te querere, sed quæram faciem tuam semper ardenter: tu da quærendi vires, qui inveniri te fecisti, & magis, magisque spem inveniendi dedisti; coram te est firmitas, & infirmitas mea, scientia, & ignorantia; illam serva, istam sana, ubi mihi aperuisti suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti, meminerim tui, intelligam te, diligam te, quia es Deus benedictus in sæcula, donec reformat ad integrum. Trinitatis vestigium in omnibus reperitur, quoniam omnia fecit Deus in numero, pondere, & mensura, imago in homine, et si hæc ad naturam, in dono creationis, similitudo

tamen perfectionem exigens, ad spiritum, ad animam credentem, sperantem, & amantem pertinet consideratione juxta illud: *In eamdem imaginem transformamur gloriam Domini speculantes, revelata facie ipsius contemplantes in terra per fidem, & in patria per speciem.* Quoniam autem testimonia tua credibilia facta sunt nimis, licet occultissimi mysterii Trinitatis plures in creaturis comparationes, etsi imperfectissimas, agnoscimus, per quas quasi manuducimur ad ejus veram notitiam capiendam, invisibilia namque Dei per ea quae facta sunt intellecta conspi ciuntur, Sol, radius, splendorque; à Sole radius, ab utroque splendor, brachium, manus, & digitus: hic ab utroque, qui spiritus Dei vocatur juxta illud: *Si in digito Dei ejicio Daemonia:* dexteræ Dei tu digitus: fons, fluvius, stagnum, considera singula; non enim vacat in singulis ponere moram; Gentiles autem, vel solo lumine naturali, ex numeri ternatii consideratione, adjuti quoque de his, quae in Sacris litteris legerant, plura de Trinitate dixerunt, vel obscura quidem, vel variis erroribus involuta. De haereticis longissimus foret sermo, quoniam sicut cancer haeresis serpit, & tot fuerunt errores, quot vel ex superbia, & pertinacia, vel ex luxuria, tenebris intellectu obscurato, quoniam istæ fuerunt duæ radices unde haeresis frequenter est orta. Hæc zizania ab inimico in semine bono superfeminata agrum Ecclesiæ confudit donec veniat dies, cum dicat Paterfamilias: *Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in borreum meum.* Non de his sermo nos ter. Ad animas sanctas, ad perfectiores, de imagine, & similitudine nostra vertatur oratio. Pulchra es amica mea, suavis, & decora; quasi diceret sponsus: O amica mea, quam pulchra es per naturam, ad imaginem, & similitudinem mei condita! quam suavis es per gratiam adoptionis, nimirum osculo divini oris, ac spiritus jam dignata! & quam deco

2.ad Co  
rint.3.  
Psalm.  
92.v.5.

AdRom.  
2.  
Lucæ 11.

ra per virtutes quasi perfecta Dei similitudine verna  
nista , quia Dei formis, videlicet virtutibus , decora-  
ta , vel pulchra in agendo , suavis in contemplan-  
do. Primò ergo naturalis pulchritudo animæ talis  
est , de qua M. P. August. lib. *de origine Animæ* , di-  
cit , quod anima est substantia creata invisibilis , im-  
mortalis , Deoque simillima , nullam habens ima-  
ginem , nisi Creatoris sui. Triplicem autem in se gerit  
imaginem , scilicet naturæ , gratiæ , & gloriæ. Naturæ  
quidem secundum quod homo naturalem habet ap-  
titudinem ad Deum intelligendum , & amandum : &  
hæc est imago creationis in omnibus hominibus re-  
perta juxta illud : *Signatum est super nos lumen vul-*  
*tus tui Domine.* Secundum hanc enim anima imme-  
diatè , & ex nihilo à solo Deo creata , capax est ip-  
sius Dei , & ideo quidquid Deo minus est , animam  
implere non potest. Mundus orbis est , Trinitas trian-  
gulus , talis est cor ; quantumvis orbis totus in cor-  
de apponatur , vacuitates semper manent : Solus Tri-  
nitatis triangulus cordis triangulum perfectè adæ-  
quare valet.

Secundò gerit in se imaginem gratiæ , quâ sci-  
licet Deum cognoscit , & diligit , quæ dicitur ima-  
go recreationis , & reperitur tantum in justis , qua-  
tenus per gratiam Deum actù cognoscunt , & dili-  
gunt , licet imperfectè præcipue in hac vita. Tertiò  
gerit in se imaginem gloriæ , quâ perfectè Deum cog-  
noscit , & diligit immediate ex ipso Deo , & hæc  
dicitur imago similitudinis , & solùm est in Beatis  
per gloriæ conformitatem , qualiter Deum perfectè  
cognoscunt , & diligunt in Patria , nam ad hoc crea-  
ta est , ut summum bonum intelligeret , intelligendo  
diligeret , diligendo possideret , possidendo frueretur.  
Unde sicut anima vegetabilis appetit esse , & sensibilis  
appetit benè esse in eodem ordine , sic rationalis appetit  
optimè esse , nec unquam quiescit , donec optimo con-  
jungatur. Quapropter vi amoris in Deum , tamquam  
in centrum proprium moyetur , ut in ipso summè  
de-

delectetur. Prædictæ verò tres imagines animæ in homine una sunt in essentia, sed differunt in potentiis. Hinc autem de anima rationali dumtaxat dicendum est, quæ secundum actus diversos in Scripturis multa sortitur nomina: vocatur enim anima, quia corpus animat, id est vivificat; vocatur *animus* dum vult, *mens* dum scit, *memoria* dum recolit, *ratio* dum rectum judicat, *spiritus* dum spirat, *sensus* dum aliquid sentit, &c. Unde M. P. Aug. lib. de *Spiritu, & Anima*, dicit, quod anima in quibusdam motibus, vel actibus suis tota simùl adest, nam tota videt, tota audit, tota sapit, tota odorat, tota tangit: cùm autem tota meminit, tota est memoria, cùm tota cogitat, tota est cogitatio, cùm tota vult, tota est voluntas, & cùm tota diligit, tota est dilectio. Per dilectionem enim sibi Deus rationalem creaturam copulavit, ut Deum semper haberet, & in eo semper maneret, de eo, & in eo semper delectans, gaudens, & exultans. Per dilectionem namque suo Creatori, & sibi invicem rationalis creatura copulata est, solumque dilectionis vinculum est, quod ligat utrosque in idipsum per amorem Dei: omnes enim adhæremus Deo per amorem, & ad invicem, nimirū cùm sola charitas est via Dei ad homines, & hominis ad Deum, & per charitatem anima conjungitur Deo, siquidem est ejus Patria habitatio, fontalisque origo, quia creata à Deo, vita à vita participata simplex immortalis, ut non longe sit à suo Creatore, cui appropriate videtur simplicitate essentiæ, & perpetuitate vitæ. Cœata est enim anima magna à magno, recta à recto, bona à bono. Eō magna, quò capax est æternorum. Et hæc quidem imago tribus Theologicis virtutibus perfectiorem Dei similitudinem exprimit. Quoniam licet anima sit una, habet in se tamen tres vires, quæ designantur in illo præcepto: *Diliges Dominum Deuter. 6. v.5.*  
*Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua.* Id est, ex tota voluntate, & ex toto intellectu, & ex tota memoria. Sicut enim ex Patre  
ge.

generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, sic ex intellectu generatur voluntas, & ex his duobus procedit memoria; habet enim anima vim rationalem, vim irascibilem, vim concupisibilem: rationalem, quâ per fidem veram tendat in summè verum credendo: irascibilem, quâ per spem tendit in summè arduum fideliter spectando: concupisibilem, quâ per charitatem tendit in summè bonum diligendo, & in illo quiescendo. His autem succedente in Patria, ad fidem visione, ad spem possessione, perfectiorique charitate, quæ consummatur in gloria, perfectissima sequitur similitudo, & transformatio, adimpleturque illud: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur tamquam à Domini spiritu.* Et illud: *Cùm apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est.* Sed homo cùm in honore esset, non intellectus comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Agnosce ergo dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: intellectu intelligens Deum, Deus participatione fit, sic & amando, intelligendo vilia, & amando talis eris. Quoniam intellectus est omnia fieri. Quid deplorabilius! quâm ad imaginem Dei creata, nec solùm ad imaginem, sed & ad similitudinem; vilia verò intelligens vilior fias, deturpata similitudine Dei vilissima fias talia intelligendo, sperando, & amando. Propter quod ait M. P. Aug. lib. de spiritu, & anima: *Quod anima rationalis inter eas res, quæ sunt à Deo conditæ, superat omnia, & ideo Deo proxima, quando pura est, ei- que in quantum charitate cohæserit, in tantum ab illo lumine intelligibili quodam modo illustrata, non per oculos corporeos, sed per sui ipsius principale, id est, intelligentiam, Deum cernit, in quo stat beatissima visio;* quâ nimirūm visione adhuc in hac vita non fruens, se lamentabatur Anselmus in Prologio dicens: *O summa, & inaccessible lux! O tota, & beata veritas,*

*ad Co-*  
*rint. 3.*

*1. Joann.*

*3. v. 3.*

tas, quām longē es à me, qui tām propè sum tibi! Quām remota es à conceptu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo! Ubique es tota præsens, & non te moveor, & in te sum, & ad te non possum accedere; intra me, & circa me es, & non te sentio; adhuc Domine lates animam meam in luce, & beatitudine tua, & ideo versatur illa adhuc in miseria sua. Ergo, ajebat Paulus, *babetis fructum in sanctificatione: finem verò vitam aeternam.* Et Dominus in Evangelio: *Hæc est autem vita aeterna, ut cognoscant te solùm Deum, & quem misisti filium tuum Iesum,* tu es Alpha, & Omēga, principium, & finis, à te exivimus, & tu à Patre existi, & venisti in mundum, iterum reliquisti mundum, redisti iterum ad Patrem, tamquam membra coaptata capiti, veritatem in nobis habebit, nemo ascendit in Cœlum nisi qui descendit de Cœlo, *filius hominis, qui est in Cœlo.* Membrum erit per gratiam unitum, non divisum.

## DECLAMATIO VI.

### AD VENERABILE, ET AUGUSTISSIMUM Eucharistiae Sacramentum.

*Memoriam fecit mirabilem suorum misericors, &  
miserator Dominus.*

Psal.  
110. v. 4.



OMO Microcosmos, quasi Mundus parvus, vel in bonum omnis perfectionis aliarum creaturarum, vel in malam partem Microcosmos iniquitatis, sive in corpore, sive, quod pejus, in anima, summâ fœlicitate, ac beatitudine censum est divini amoris, quam sortitus ex solo divino beneplacito, audiens vocem illam: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, in hoc tantum, nec mag-*

E

lum

lum timeat ; nec ab aliquo bono vereatur deficere : homini igitur sic Microcosmo omnium perfectionum condito , cibus omni delectamento , omni beneficio , omni

**Gen. 27.** nique fœlicitate præstari debebatur : *Tibi post hæc filii mi ultra quid faciam ?* Angelicus Doctor , cui dictum est à Christo : *Bene scripsisti de me Thoma , melius de venerabili Sacramento Eucharistiae , melius abs timore scripsisse dicamus :* inter alia opusculum de venerabili Eucharistiae Sacramento ad modum decem prædicamentorum quis sine compunctione , & delectatione leget ? Namque prædicamenta decem , decem sunt suprema genera , ad quæ cætera reducuntur ; cùm namque de omnibus in singulari differere difficile sit , quoniam non est scientia de singularibus , sub uno genere supremo cætera comprehendit . Sic de substantia , de quantitate , qualitate , & sive quæ in his mirabilia apparent in venerabili Sacramento , sive per comparationes , quæ miracula in his , qui effectus , plus angelico , quam humano intellectu altissimè differit . Dicamus primò : Quid illud ?

**Psal. 110.** *Memoriam fecit mirabilium suorum , & miraculorum ab ipso factorum maximum .* Brevi unâ solâ particula omnia comprehendit ; ita prout dixit Magn. P. N. Augustinus : *Cùm potentissimus sit , plus non potuit dare ; cùm sapientissimus , plus nescivit ; cùm amantissimus , ultra prodire non habuit .* Plus non potuit Omnipotentissimus . Quinque tantum verbis in toto mundo , & Ecclesia ab initio ad finem , donec proferantur , adest Christus sacramentaliter præsens : O immensitas ! O potentia ! O sapientia ! Notas facite in populis adinventiones ejus :: mementote mirabilium ejus .

**Psal. 104.** An doctas fabulas secuti annuntiamus vobis , potentiam , sapientiam , & amorem ? Cogita per singula , si una tantum esset Missa celebranda , aut unica communio facienda , tota vita , et si longa , non sufficeret , vel ad præparationem , vel ad communionem , vel ad gratiarum actionem , ajebat S. Philippus Nerius . Quadragesima annis ædificatum est Templum , ut in Arca

Man-

Manna asservaretur. Quadraginta annis populus Mana-  
na nutritus fuit : quadragenarius iste numerus desig-  
nat revolutionem saeculorum. Durante fide usque ad  
finem sedebimus ad mensam Dei , aliti clarâ visio-  
ne ejusdem in patria , quod modò in exilio credimus.  
Tria facimus quotidiè in Eucaristia : & consecra-  
mus , & offerimus , & sumimus : consecramus , o quæ  
mutatio ! Quæ conversio transubstantiatio ista voca-  
tur ; quot conversiones in natura , quot in ordine  
gratiæ , vera Philosophia agnoscit ! Alimenti in subs-  
tantiam aliti , sanguinis , & humorum in carnem : sed  
qui convertit petram in stagna aquarum , & rupem  
in fontes aquarum , nos omnino transferat in se , ut di-  
cere possimus cum Paulo : Vivo ego , jam non ego:  
vivit vero in me Christus ; adimpleatur illud : In me  
manet , O ego in eo .... O qui manducat me , O ipse  
vivet propter me: qui adhaeret Deo , unus spiritus est.  
Secundo offertimus : Non apparebis , ajebat lex , in con-  
spectu meo vacuus ; & quid non sub hac oblatione  
offertur ? Totus Christus , totus Deus , merita , pa-  
ssiones , & vel ad impetranda beneficia , vel ad sa-  
tisfacienda peccata , vel in gratiarum actionem , in  
Latriæ sacrificium ; vide si plus ultra : Quis conclu-  
sit ostiis mare , quando erumpet quasi de vulva pro-  
cedens ? ajebat Job , O dixi : Usque huc venies , O am-  
plius non procedes , O hic confringes tumentes flue-  
tus tuos. Tertiò sumimus : Manu quid est hoc ? No-  
men admirationis ipsa dictio Manna exprimebat. Man-  
nu quid est hoc ? Abbreviatum verbum , sed quale  
immensum oceanum ! Non habeo panem , dicebat mu-  
lier illa de Sarepta , nisi quantum pugillus capere po-  
test farinæ .... O faciam illum mihi , O filio meo , ut  
comedamus , O moriamur. Ita comedamus quasi sta-  
tim morituri : Hodie scietis quoniam veniet Dominus , O  
mane videbitis gloriam ejus. Sic hodie sume quasi  
mane moriturus ; tanta cum puritate quasi gloriam  
statim ingressurus. Si hodie pro Viatico in considera-  
tione sumis , quasi statim moriturus , & gloriam

Ad G. 2.  
lat. 2.

Joan. 6.

Job. 38.

3. Reg.  
17.v.12.Invit. Vi-  
gil. Nat.

ingressurus , sit tibi in memoria mors , sit tibi gloria , & quia nihil coinquatum intravit in eam , nec minima cum imperfectione accedas ad Eucharistiam . Sabbato non inveniebatur Manna , sex diebus colligebatur : sed oportet prævenire Solem ad benedictionem , & ad orientem lucis adorare Deum . Radiis Solis Manna contactum tabescerebat , & liquefiebat : ergo anticipent vigilias oculi tui ; trade cor ad vigilandum diluculo ; memor esto super stratum , in matutinis hæc meditaveris : nullus egrediatur ostium domus suæ usque mane , præcepit Deus , in celebrazione agni Paschalis : maneat unusquisque apud se metipsum . Clausit à foris ostium Dominus , dicitur de arca Noetica ; ô quām fœlix ille , cui claudens Dominus ostia cordis à foris , tulit secum clavem , nè ulla cogitatio ingrediatur ! Tibi post hæc ultra quid faciam ? Cogita per singulos dies invitatus à Rege : *Hoc die cum Rege pransurus sum ; habes Deum Patrem , Sponsum , Pastorem , lucem , cibum , Solem , Sacerdotem , & Sacrificium , Medicum , & Medicinam , & quidquid cogitare potes cum Deo , omnes ejus perfectiones , & attributa , æternitatem , immensitatem , providentiam , justitiam , misericordiam , & reliqua : quidquid in Deo est , Deus est . Quid tibi deficiet ? Illumina cætitatem meam , dita paupertatem meam , lava fœditatem meam , munda , & purga fordes meas , vivifica mortem meam . Angeli contremiscunt , & pavent , Seraphim velabant facies suas , viginti quartuor seniores procidebant ante sedem Dei , & agnimitentes coronas suas . Eodem momento , ajebat D . Gregorius , dum consecratur à Sacerdote , rapitur ministerio Angelorum sociandum Corpori Christi in Cœlo . O Sacerdos inter lumina quasi mortuus , inter Angelos quasi beatus , in Deum , & homines quasi internuntius . De Nazaræis præcipiebat lex , quod à ventre matris dicarentur Deo ; hinc Nazaræus quasi Domino consecratus . Novacula non ascendet super caput ejus , vinum , & siceram non bibet , & omne quod*

quod inebriare potest , & omne immundum *non man-*  
*ducabit* , &c. Sacerdos Deo consecratus sacra faciens,  
 sacra dans , omne immundum non tanget , ad mor-  
 tuum non ingredietur : seu in vitæ arbore , seu in lig-  
 no vitæ , juxta Apocalypsim , plantato ex utraque par-  
 te fluminis , sive utroque testamento , afferente fructus  
 per menses duodecim , cuius folia ad sanitatem gen-  
 tium adumbrata est Eucharistia in omnibus antiqui  
 testamenti sacrificiis , sive quæ ad expiationem pec-  
 catorum , sive quæ in gratiarum actionem , sive ad  
 impetrationem , sive quæ in holocaustum Deo Latriæ  
 cultu in protestationem summi dominii , principii , ac  
 finis, Alpha , & Oméga , in quo ut in holocausto om-  
 nia cremabantur , vel effundebantur. Omnia hæc in  
 Eucharistia habentur. Ex corde ergo dicamus : Deus  
 meus , & omnia. Tu mihi : quid es tu ? Quid est mihi ?  
 Hoe juge sacrificium ; hæc oblatio munda. Hic agnus  
 occisus ab origine mundi , & quasi oblitus non re-  
 cordabatur in omnibus omnia aderit Deus. Vide natu-  
 ræ ordinem , ordinem gratiæ , gloriæ , & hypostati-  
 cum. O Deus meus , & omnia ! Te solum Deum pu-  
 râ mente sectari ; unde hoc mihi ? Dilectus mihi , &  
 ego illi , qui pascitur inter lilia.

Manna modio ad mensuram gomor metiebatur; nec  
 qui plus colligebat , nec qui minùs , plus , aut minùs  
 inveniebat , sed ad mensuram gomor equaliter redu-  
 cebatur. Hic est amor Dei , & proximi , hæc gratia,  
 & prout ad Deum ad nobis impertiendum hoc me-  
 ritum infiniti valoris in quantumvis minima actione;  
 hæ sunt actiones theandricæ , seu Dei viriles , in qui-  
 bus juxta Damascenum , divinum suppositum valorem  
 infinitum habens , juxta mensuram gratiæ , & charita-  
 tis , juxta dispositionem unius partitur , in quantum  
 Deus est qui operatur : ex quo non est timendum  
 quantumvis in nostrum profectum applicemus , quod  
 thesaurus exhaustiatur.



# DECLAMATIO VII.

## AD BEATAM VIRGINEM.

3. Reg.  
C. 2. v. 26.



Apoc. 12

*T*quidem vir mortis es , sed hodie non te interficiam , quia portasti Arcam Domini Dei coram David Patre meo.Hæc Salomon ad Abiathar Sacerdotem mortis reum ob conjurationem Adoniae : O Cœli fœlix porta ! O polare Sydus ! O Maria ! quos , quantoque mortis reos , præcipue vos alioquot , Sacerdotes Domini , quia portastis Arcam fœderis Domini ; et si viri mortis , à cœno peccati ad coronam gloriæ , ad coronandam Mariam ob ejus intercessionem ascendistis : *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Sed aliam coronam Mariæ video tempora cingere : *Veni coronaberis de capite Amana :: de subilibus Leonum , de montibus Pardorum :* Qui Leones , quiq[ue] Tigrides , quiq[ue] Pardi , in stellas conversi Mariæ tempora cingunt ! Nostra Civitas Valentina , tuo nomine gloriata sub titulo Desertorum Matri : *Tu gloria nostra , tu honorificentia populi nostri , tu lætitia Israel.* Quod desertum horridius , quam peccatoris cor ! Sanctus Thomas à Villanova , nostræ Civitatis , & Prætul , & Pater : Desertum istud est peccator , ibi habuit foveam suam hericus , & enutritivit catulos suos , ibi cubavit Leo , & mala bestia , & sicut montes Gelboë à Deo maledicti , nec ros , nec pluvia cecidit super eos , ita ut aruerint , dixit Sanctus Gregorius Papa , propheticō maledictō , nec sint agri primitiarum eo quod in ipsis mortui fuerint Saul , & Jonathas amabiles valde , & decori in vita sua ; siccine peccator desertum infoelix , sed fluvios scindes terræ , viderunt te , & doluerunt montes. Ad Montem Calvariæ illis verbis filii tui : *Ecce Mater tua ; ecce filius tuus , constituta es Mater , & advocata desertorum peccatorum.* Divus Ambrosius : *Mysticè intelligimus in Joans ne*

39

ne omnes animas electorum ; quorum per dilectionem  
Virgo Maria effecta est Mater. Sermo Dei operatorius  
est, quod significat, efficit : unde & Patres intelli-  
gunt ibi quandam vim quasi sacramentalem, quâ Joan-  
nes, tûm & peccatores, in filiationem Matiæ trans-  
sierunt. Si desertum cor, videlicet durum, peccatoris  
rōre Cœli privatur, protectio, & nubes in umbracu-  
lum erit desertorum Mater : in umbra tua vivemus;  
erit in umbraculum diei ab æstu, columna nubis, &  
ignis in protectionem diei, & noctis. Celebrabant He-  
bræi tabernaculorum festum, quia *in umbraculo nu-  
bis meæ*, inquit textus, *habitare feci filios Israel,  
quando eduxi eos de terra Ægypti*. Tu sola, inquit  
Villanova, protectio nostra, tu sola advocata no-  
stra in absconcionem à turbine, custodia, & suffu-  
gium peccatorum, quod desertum erat. *Lætabitur de-  
serta*, & invia, germinans germinavit solitudo, &  
exultavit lætabunda, & laudans :: in cubilibus, in qui-  
bus prius habitabant Dracones, orietur viror cala-  
mi, ac junci, & via *sancta vocabitur*. Pergebam die  
quadam in adimptionem obedientiæ meæ, cùm foeli-  
citer obviam habui foelicem, ac devotissimam tuam  
sanctam Iconem, quæ ducebatur ad forum Valentium,  
cùm esset reus morte plectendus. Cogitavi, & dixi:  
O quâm tristis erit ille, sed o quâm foelix occursus:  
tristitia ejus vertetur in gaudium, aderit foelix Maria,  
poena erit in suffragium, vitam perdet, lætabitur cor,  
in gloriam transiet. Ora pro eo, & pro nobis nunc,  
& in hora mortis. Si linguae mihi centum forent,  
oraque centum, ferrea vox, nihil de te dicere possem:

In freta dûm fluvii current,  
Dûm montibus umbræ lustrabunt:  
Convexa polus dûm sydera pascet,  
Semper honos, nomēque tūm, laudesque manebūt.

Tua dignitas, ajebat Sanctus Thomas Angelicus,  
quamdam dignitatem infinitam habet ex bono infini-  
to, quod est Deus. Mater Dei, Regina Angelorum,  
& hominum. Mater Dei : Tantò melior Angelis ef-

*fecit*

fecta ; quantò differentius præ illis nomen hereditati:  
 Cui enim dixit aliquando Angelorum : *Mater mea es  
 tu?* Regina Angelorum , & hominum , præcipue peccatorum , signum æternæ prædestinationis , ajebat Divus Anselmus , tua devotio. Beatus homo , qui audit me , & qui vigilat ad fores meas quotidiè , & observat ad postes ostii mei ; qui me invenerit , inveniet vitam , & hauriet salutem à Domino ; qui autem in me peccaverit , lædet animam suam. Omnes , qui me oderunt , diligunt mortem. Sicut avis illa Cardion dicta , super quem visum benignum , ac lætum figit , mortem evadit ; si faciem avertit , mors est certa : & ego indignus peccator , non aверto oculos à fulgoribus syderis ; & fido non obrui procellis ; si benignè respicis , omnia sunt salva ; inferni postes obsecratae erunt quantumvis peccata eas pandant ; quot peccatores ab inferis extraxisti ! quotquot salvi facti sunt , per te salvi facti sunt. Sileat misericordia tua , ô Maria ! Quisquis dicere posset se legisse ad Mariam confugientem , & ad te , vel ob fœditatem , vel ob immanitatem peccatorum , à te fuisse despctum ; sed non leget , inquit D. Bernardus. Omnes ad te currimus , tu nostra protectio , tu nostrum refugium , tu nostrum unicum remedium , subsidium , & asylum , ajebat N. Præfus Villanovanus. Tandem ut paucis plura complectar , quidquid de te dici potest , uno verbo comprehendam. Perambula Scripturarum prata , omnium Sanctorum Patrum scripta perlege : quidquid in omnibus dispersa videris , collecta tenes ; unum tantum non omittam : *Intravit Jesus in quoddam Castellum* , Bernard. *Quid introisse dicimus in Castellum , etiam in angustissimum uteri virginalis diversorium introisset* ; ibi quem Cœli capere non poterant , tuo gremio contulisti. Ingrediamur ergo hoc mysticum Castellum tui sacratissimi uteri : en fœmina circumdabit virum , imò & Deum ; ingrediamur inquam in Castellum Marthæ , & Mariæ , Sororis ejus , inveniemus utramque vitam , activam scilicet , & contemplativam , & mixtam

Luc. 10. tūm non omittam : *Intravit Jesus in quoddam Castellum* , Bernard. *Quid introisse dicimus in Castellum , etiam in angustissimum uteri virginalis diversorium introisset* ; ibi quem Cœli capere non poterant , tuo gremio contulisti. Ingrediamur ergo hoc mysticum Castellum tui sacratissimi uteri : en fœmina circumdabit virum , imò & Deum ; ingrediamur inquam in Castellum Marthæ , & Mariæ , Sororis ejus , inveniemus utramque vitam , activam scilicet , & contemplativam , & mixtam

in utraque sorore signatam: inveniemus Lazarum, et si quattiduanum in monumento, jam suscitatum, quoniam si quattiduanus peccatorem designabat, lapis superposito consuetudine prava, omnino derelicto, & deserto à cunctis, tamen respiciens lacrymatus est Jesus, infremuit spiritu, turbavit semetipsum, clamavit voce magna: Lazare veni foras, prodidit qui fuerat mortuus, surrexit Lazarus, solutus sepulcralibus fasciis, ut declamans lapsus in culpam per Mariam ad poenitentiam revocetur, à coeno ad cœlum elevetur.

Per Adamum, & Hevam ad nos omnia mala profluxerunt. Heva serpenti credens inobedientiam intulit mundo, & cum ipsa peccatum, & omnes ejus effectus; Maria mutans Hevæ nomen credens Angelo in illo *Ave*, contrarium Hevæ remedium intulit mundo: sed non sicut delictum ita & donum: ubi abundavit delictum, superabundabit & gratia; si ad nos perveniunt planctus, rebelio passionum ex inobedientia Hevæ, omnesque effectus peccati, quidni ex cantu Mariæ gaudium, pax, gratia, & gloria plenius sine dubio proveniunt. A te, piissima Virgo, peccator nequit avelli: sapientia verò ubi inventur, & quis est locus intelligentiæ? ajebat Job; quid de Sapientia in facto eloquio dictum est, de Sapientia increata, Filio scilicet à Patre, ut Sapientia, & Verbo procedente, Filio applicatur: *Ego ex ore Altissimi prodivi*. Inde ad te, Sapientiæ æternæ Mater, confona, ac pia transit applicatio: Quām jucundè in singulis moram oratio faceret! Sed difficulter, in brevi immensa valent comprehendendi. Quasi Oliva, quasi Cedrus, quasi Rosa, quasi balsamum, cæteraque hujusmodi, hæc tu Sapientiæ Mater; sed iterum: Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ? Abyssus dicit non est in me: mare loquitur non est mecum: volucres quoque Cœli latet, quasi Spiritus angelici, & cœlestes cuncta transcendentes, nec tuæ perfectionis gradus, nec gratiæ in-

primo instanti plenitudinem attingere valent: perditio;  
 & mors quasi diffugientes, seque abscondentes dixerunt:  
*Famam ejus audivimus;* sed tandem: *Trahitur  
 Sapientia de occultis:* quia respexit humilitatem ancillæ  
 suæ; non tantum virginitatem, imò vel maternitatem, vel  
 cumulum reliquatum omnium virtutum: sed quia res-  
 pexit humilitatem ancillæ suæ. Ora pro nobis nunc,  
 & in hora mortis. Amen.

## DECLAMATIO VIII.

### AD SANCTUM ANGELUM CUSTODEM, & reliquos Angelos.

*Ecce ego mitto Angelum meum:: observa eum, & au-  
 di vocem ejus, quia non dimittet cum peccaveris.*

Exod.  
63.



Ad He-  
br. i.

AGNUS ille Dionysius Areopagita doctus  
 à Paulo, qui in raptu ad tertium Cœ-  
 lum vidit arcana verba, quæ non li-  
 cet homini loqui, doctrinam toti Ec-  
 clesiæ de coelesti Hierarchia dictavit;  
 de coelesti inquam Hierarchia per ana-  
 logiam ad Ecclesiasticam, imò ad Regalem, &  
 Politicam sermonem instituit: Adsunt Reges, Dy-  
 naстæ, Duces, Magnates, Populi, Principes, & re-  
 liquum vulgus, sic in regali, & naturali distributio-  
 ne ordinum, quod & in Ecclesiastica, & coelesti Hie-  
 rarchia distinguitur: in hac Deus in Cœlo sedens,  
 septem Spiritus, qui adstant ante Dominum, Sera-  
 phim, Cherubim, novem Angelorum ordines, millia  
 millium, & quorum non est numerus nullum mi-  
 nistrantes habet. Deveniendo tamen ad Angelos, om-  
 nes sunt administratori Spiritus, hi sunt qui mittun-  
 tur ad hominum custodiam: Angelus Custos, Angelus  
 pacis, cui sum commendatus stella manens in ordine  
 tuo, contra Sisaram (Dœmonem) pugnans, refero gra-  
 tias, qui me custodisti ab egressu ventris matris meæ, us-  
 que

que ad egressum è vita , usque ad tribunal Judicis non  
dimittes : dormiens invigilasti , extra somnum de-  
duxisti , à quot periculis servasti ? Jam ut Angelus pa-  
cis amarè deflevisti errores meos , aliàs in Cœlo gau-  
dium habuisti super peccatore pœnitentiam agente ;  
ego in cœno peccati consilia tua despiciebam , quas  
vilitates , quas inobedientias in conspectu tuo pere-  
gi ? Quæ in occulto fiunt , turpe est dicere ; tu semper  
me custodisti , nec dimisi , nec dimittes ; adjuva me ,  
& custodi me usque ad ultimum instans , in ultimo præ-  
lio , ut non peream in tremendo judicio : *Quæcumque*  
*scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt , ut*  
*per patientiam , & consolationem scripturarum spem*  
*babeamus : habentes solatio sanctos libros , qui sunt in*  
*manibus nostris ; unde ajebat M. P. Augustinus : Littera-*  
*ræ venerunt ad nos de illa civitate ; hoc est commer-*  
*cium nostrum ; propterea D. Bernardus : Orationi suc-*  
*cedat leætio , leætioni oratio : o occupatio unica , & de-*  
*bita præcipue Religioso ! Maneant ( Seraphica Teresia*  
*ajebat ) clausi in cellis meditantes in lege Domini die ,*  
*ac nocte ; & Bernardus : Numquam minus solus , quâm*  
*cùm solus ; nomen cœli , & cellæ quasi cognata vi-*  
*dentur : Angeli dûm cum solo in cella adsunt , cœ-*  
*lum non sibi minus faciunt : ergo percurre paginas ,*  
*scrutare Scripturas , Patres , Scriptores consule , An-*  
*gelos passim invenies , vel per scalam Jacob ascen-*  
*dentes , & descendentes , ut orationes nostras Deo offe-*  
*rant , vel ut à cœlis ad terram Dei Misericordiam*  
*ad nos deferant . Actus Angelorum sunt juxta Ang.*  
*Doctorem , purgare , perficere , & illuminare ; tres mo-*  
*tus , rectus , obliquus , & circularis : rectus in illumi-*  
*natione à Deo ad Angelum ; obliquus in ipsa illumi-*  
*natione à supremo Angelo usque ad immediatum , &*  
*deinde ad alios usque ad infimum : circularis , dûm*  
*reddit ad Deum quasi finem ultimum , ut sit in lau-*  
*dem , & gloriam ejus , quod ab ipso incœpit ut prin-*  
*cipium : est enim amor æternus quasi quidam circu-*  
*lus non habens initium , neque finem , quoniam qui in*

Ad Romæ

15.

I. Ma<sup>z</sup>  
chab. 12.  
v. 2.S. Dion.  
& Ange-  
licus Dr.

charitate perpetua dilexit nos, non habens initium: quia ab æterno priusquam essemus dilexit; non habens finem, quia anima finem nescit, ipse præfecit nobis Sanctos Angelos, qui faciem Patris semper videntes super nostra bona invigilant, castra nutantur, Dœmonis technas validè retundunt: quis eorum bona pro nobis referat? quis mala quæ à nobis repellunt? Plures nobiscum sunt, quām cum illis in casu Elisei in platea Samariæ, aperiens oculos pueri illius dixit Propheta: Quoniam si vos hodie pugnam contra inimicos Domini vestri comittitis, potens est Deus legiones Angelorum immittere, & quasi in campo Assyriorum una nocte morte prostrare centum, & plus quam octo millia armatorum. Invoca Ductorem tuum, Custodem tuum; super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem: super aspidem occultarum cogitationum, super basiliscum quorum videre occidisse est; super Leonem initium scilicet superbiæ, quod est initium omnis peccati; super draconem, qui cauda tertiam partem trahebat stellarum. Super muros tuos, animæ scilicet, civitatum, regnum, imò & ipsius Antichristi juxta Angelicum Doct. saltem ut coerceat, neque plus mali sine fræno susdequè

*Matthæi cuncta præcipitet, ut impleatur Scriptura: Et nisi breviati fuissent illi dies, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.* Constitui custodes; tota die, & tota nocte in perpetuo non tacebunt laudare nomen Domini. Sed, ò momentum à quo

*æternitas! O instans æternitatis! Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc, & usque in seculum. Etiam juxta crucem in Calvario astitit Diabolus quasi insidians quā locum invenerit: sed cornua in manibus ejus lucis, scilicet: Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes ejus. In transitu Sancti Martini, viso hoste humani genetis, quid, inquit, hic astas, cruenta bestia? nihil in me funestè reperties.*

Er-

*Cant.  
Abac.  
cap. 3. v.  
4.*

Ergo in mortis hora exurgat Deus , & dissipentur  
inimici ejus , & fugiant , qui oderunt eum à facie ejus:  
sicut deficit fumus deficiant. Oratione Maximi Hie-  
ronymi , tres mortui dicuntur resuscitati, quorum unus  
dixit , quod in hora mortis ejus tres cunei , & exer-  
citus Dœmonum , quasi apes , & muscæ circumde-  
derunt lectum ejus , & ad tres invocationes verbi  
Domini , ad singulas singuli exercitus exibant libe-  
rantes in agone appositum. Prima , o Domine misé-  
ricors , ego sum , quem creasti ex nihilo tantâ po-  
tentia , & virtute , quid nihil eram ; ergo parce , &  
miserere operi manuum tuarum. Secunda , ego sum ,  
quem conservasti per tot annos , cui tot beneficia con-  
tulisti , quot meo servitio cunctas creaturas deputasti ,  
tum & Sanctos Angelos , præcipue , & Custodem mei ,  
qui me nunquam dimisit , & modò ad tuum Tribu-  
nal præsentavit ; ergo non me deseras , sed parce mi-  
hi , quoniam pœnitet me peccasse ; ad hanc secundam  
invocationem , exibat secunda turba , secundusque cu-  
neus Dœmonum. Tertia , ego sum , Domine Jesu ,  
quem in Cruce redemisti tuo sanguine pretioso post  
triginta tres annos laborum : hinc fugiebat tertia Dœ-  
monum turba ; & sic mansi liber. Insonent hæ voces  
in auribus in agone positi ; munitus Sanctis Sacramen-  
tis Viatice , & Sanctæ Unctionis , vallatus orationi-  
bus religiosorum hominum , & precibus pro tempo-  
re ab Ecclesia institutis , repetitione omnium actuum  
Fidei , Spei , Charitatis , &c. securus morere : sub-  
venite Sancti Dei : occurrite Angeli Domini suscipien-  
tes animam ejus. His auxiliis præventus , scribit Illumi-  
natus Tauletus , quidā qui formidabat vehementer mor-  
tem , per Epistolā confortatus in fine adjunctū est , sic be-  
nedic Deo , & morere , tūc amplectens inter brachia Cru-  
cifixū latus mortuus est : nunc mihi amatiissime , qui lap-  
su ad pœnitentiā proclamas , vide , quia omnia tēpus ha-  
bent : *Tempus amplexandi , O tempus longè fieri ab am-  
plexibus : tēpus amplexādi Crucifixū , tēpus cessandi ab am-  
plexibus filiorū , patrum , cunctorumque omnium , quæ in  
mundo sunt.*

DE-

Ecclesias-  
tēs 3. v.  
5.

# DECLAMATIO IX.

## AD SANCTUM JOANNEM BAPTISTAM, Præcursorum Domini.

*Venit Joannes Baptista prædicans in Deserto Ju-  
dææ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropin-  
quavit enim Regnum Cælorum, &c. Matth. 3.*



INTER ænigmata à Regina Saba , proposita Salomoni , ut referunt Rabbini ( apud Pauletum Augustinianum, Serm. de S. Joann. Bapt.) alterum fuit , ex duobus ramis , altero florum natura-  
lium , altero artificialium , adeò simi-  
lium , ut ars cum natura æquivocaretur , & artifi-  
ciales adeò naturam imitarentur , ut non appareret ,  
qui essent naturales , qui ab arte imitante naturam ,  
petivit Regina Salomoni , quod ista discerneret. Il-  
lius sapientia facile adinvenit modum , jussit affer-  
ri Apem , cuius natura est super flores naturales cir-  
cumvolitare , eorum succum depromere , ut suos  
favos , ac melle componat. Circumvolitavit Apis ,  
sedit super flores naturales , & sic facta est discre-  
tio. Dominus Christus , Nazaræus , flos campi , &  
lilium convallium. Joannes Bapt. Nazaræus , & in  
deserto , interque montana Judææ , quām pulcher-  
rimus flos ! Christus , divinitatis flos. Joannes , in-  
ter natos mulierum , major ; quisnam ad majorem  
similitudinem hujus floris , Dei scilicet perivenit ? Con-  
ceptio Christi , à Gabriele prænuntiata , & Elisabeth  
sterili promissa ab eodem Archangelo. Nomen , ab  
ipso met Archangelo , Deo præcipiente , Parentibus  
revelato , Zachariæ videlicet , & Elisabeth. Sicut &  
Jesu venerabile nomen Joseph , & Mariæ ex  
præ-

præceptō Dei declaratum. Talis Joannes , quod Christus potuerit credi. Talis Joannes , quod Christo miracula faciente , Herodes diceret : *Joannes , quem Marci 6.  
ego decollavi , surrexit à mortuis , & virtutes ope-*  
*v. 16.  
rantur in eo.* O quām isti flores , sibi invicem præstant ! Si namque per gratiam homines conformes fiunt imagini Filii Dei , majorem Baptistæ gratiam , quis inficiabitur , ad majorem , seu perfectiorem gradum similitudinis elevasse ? Qualiter ergo isti flores adinvicem discernantur ? Christus , naturalis filius ; Joannes , inter adoptivos , nullus major. In Jordani aperti sunt Cœli , Joannes baptizat , baptizatur Christus. In columbæ specie Spiritus Sanctus visus est , supra Christum sedit , intonuit de Cœlo Pater : *Hic est filius meus dilectus , in quo mibi bene complacui.* Prophetæ usque ad Joannem , quia illi procul videntes , at Joannes digito demonstrat: *Ecce Agnus Dei.* Joannes Angelus veniens ad præparandam viam ante Deum. Christus magni Consilii Angelus. Joannes venit prædicans , & erat vestitus pilis Camelorum , & circa lumbos habens zonam pelliceam ; esca autem ejus erat locustæ , & mel silvestre. O mirus Prædicator ! Sufficit hic Sermo , vietus , vestitus , habitusque tuus. Sed *quid existis in desertum videre ?* dixit Christus , *hominem : mollibus vestitum ; arundinem agitatam vento ?* Sed *quid existis in desertum videre ?*

Illuminatus Dr. Joannes Taulerus : *Existis in desertum videre.* Exitus plusquam Abraham de terra , & cognatione ; exire , inquam , de terra , juxta D. Ambrosium , hoc est de corporis nostri quadam commoratione egredi ; de qua exivit Paulus , qui dixit : *Nostra auctem conversatio in Cœlis est.* In desertum florum , ac virtutum , liberum à strepitu , & curis , cui dixit ad animam facer Sponsus : *Ducam eam in solitudinem , & loquar ad cor ejus , vel ad quod ipsa anima suspirabat : Quis dabit mibi pennas , sicut columbæ , & volabo , & requiescam ? Ecce elongavi fugiens , &*

Matth. 3.

Joann. 1.

v. 29.

Matth.

11. v. 7.

Serm. de

Dom. 5.

Advent.

Lib. 1.

cap. 2.

Ad Phil.

3. v. 20.

Osee 2.

v. 44.

Psal. 54.

man-

*mansi in solitudine.* O æmula vita Angelorum ! tota est vita spiritus , ferè nihil de carne , nisi apparens; hoc est exire in desertum , sed *videre* , quid ? Vel visionis locum , ut Abraham , vel in rubo ardente , nec combusto Deum , ut Moyses , vel in monte ut

3. Reg. Elias , *in sibilo auræ lenis.* Ecce ibi Dominus , san-  
ctificatus in utero Joannes ibi. Exilit , & loquitur

Cant. Za-  
chariae.  
Lucæ 1.  
v. 76.

saltibus , matrem exultare facit ; vox agnoscit Ver-  
bum , aurora Solem præit : tu puer Propheta Al-  
tissimi vocaberis , & præibis enim ante faciem Do-  
mini parate vias ejus : linguæ vinculum in Patre sol-  
vit , gratiam , quam Joannes signat , ad omnia de-  
monstrat , Propheta , Angelus , Prænuntius , Martyr ,

Ex Hym.  
Ecclæ.

& Virgo , & Doctor : *Serta ter denis alios coronant  
auæta cremenitis , duplicata quosdam , trina te fructu  
cumulata centum nexibus ornant.* Ad ejus verò præ-  
dicationem convertamus auditum : istud Thæma:

Matth. 3. *Genimina viperarum , quis ostendit vobis fugere à ven-  
tura ira ?* Jam enim securis ad radicem arboris po-  
sita est , cadet arbor , cùm ceciderit , in partem ad  
quam fuerit inclinatus , sive ad dexteram , sive ad  
sinistram , sive in malam partem , sive in bonam ,  
tamquam lignum , quod plantatum est secus de-  
cursus aquarum , beatus vir , juxta fluenta de humo-  
re suget aquarum , quod sibi ad conservationem ne-  
cessarium est , cætera transire sinet ; non enim ad va-  
nitatem , sed ad necessitatem ; nec ad superfluitatem ,  
sed habentes alimenta , & quibus tegamur , his con-  
tentii sumus , reliqua ad alios pertransire faciat. Lin-

Job 14. gnum habet spem , si præcium fuerit , rursus vi-  
rescit , & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra  
radix ejus , & in pulvere emortuus fuerit truncus  
illius , ad odorem aquæ germinabit , & facit comam ,  
quasi cùm primum plantatum est : sic rectè homo  
justus arbori comparatur : Quis non videat in hye-  
me , quasi emortuas arbores , cùm tamen advenerit  
æstas rursus virescere , facientes comam , folia , flo-  
res , fructusque producentes : *Mortui enim estis , aje-*  
*bat*

49

bat Apostolus, *O vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum apparuerit Christus vita vestra, tum vos apparebitis cum ipso in gloria.* Hoc ad viventes à mundo oblitos, & ipsi mundum obliviscientes. Eremi primus cultor in lege nova Joannes Baptista, Nemorumque cultor maximè Vatum, hunc eremi Incolæ, ac cultores Ducem sequuntur: sic M. P. N. August. nos in Eremo fundavit, vitam eremiticam, & anachoreticam ad nos induxit, & licet ad fidelium consolationem, & in Ecclesiarum utilitatem, ad civitates adducti, vitam perfectiorem, mixtam ex activa, & contemplativa, in cœnobiis exerceamus, titulum tamen Eremitarum non amisimus: O solitudo amabilis, & deliciarum locus! Si ex tractu cum creaturis, ex solitudine turbamur erga plurima, revertamur ad cor: Cella erit quasi cœlum, & quia cognata sunt nomina, cum Angeli Religioso in cœla adstant, ut Bernardus ait, non cœlum minus habent, nec minus solus aderit Frater, quam cum solus; ibi Angeli ascendent, & descendunt, quasi per scalam Jacob. Cella Mater amans Fratrem, in sinu, quasi in ventre fovens, gestat, & nutrit; quem cœlla non capit, & quasi violentus inhabitat, abortivus est; Mater non sustinens, quasi in ventre foras projicit, & Matri forte mortem infert, & quasi abortus, nec ipse sustinet, nec ipsa fert: & si dicere liceat, sicut Rachel desiderans filios viro dicebat: *Da mihi liberos: alioquin moriar,* postea autem cum partu doloribus animam ageret, ajebat: *Si sic futurum erat, melius mihi esset non concepisse;* si de his filiis abortivis cœlla, ac Religio Mater dole-re, ac conqueri poterunt. *Egrediamur foras,* dixit Cain ad Abel, *confurrexit, O interfecit eum.* O infœliches foras exitus!

Ad ripas Jordanis prædicans Joannes, misserunt Sacerdotes, & Levitæ ut interrogarent eum: Tu quis es? Elias es tu? Non sum: Propheta es tu? Non sum; imo & an esset Christus interrogatus, respondit etiam:

Joann.  
1. v. 21.

G

Non

Non sum. O verbum breve, sed efficax, & plenum! Si Joannes non sum, dicit, quid ego sum, dicam? Ego peccator semper sum, dicam. *Discite à me non mundum fabricare, aut mortuos suscitare, aut in ipso mundo mirabilia facere, sed quoniam mitis sum, & humilis corde.* Ergo in Jordanis solitudine vitam plus angelicam, quam humanam in spiritu, & virtute Eliæ praebat ad primum adventum, ut Elias praecurret ad secundum. Virtutibus plus angeli, quam hominis, asperitas vietūs, ac vestitus, jejunia chau- meniae, seu humi cubationes; à spiritu ductus in dea fertum, & non quidem quasi propter præterita com- missa peccata; (*sanctificatus in utero*) sed nè levi posset maculare vitam crimine linguæ; aut tantum in Dei obsequium, vel in exemplum peccatorum, qui peccata non habebat. Oratio quam sublimis! Quas extases! Quas immissiones! Etiam cùm dor- miret corpus, vigilaret animus: quos assensus men- tis! Ferè tota vita abs dubio fuit extasis: o sublimis oratio, ac elevatio mentis in Deum! Fortitudo, & constantia, simulque perseverantia usque in civita- tis introitum, virtutibus quatuor cardinalibus, jus- titia, prudentia, fortitudine, ac temperantia, quæ quatuor sunt fundamenta, & columnæ. E solitu- dine egrediens, in civitatesque adductus ab eodem spiritu, ut pararet Domino plebem perfectam. Zelo Eliæ, Moysis mansuetudine, adversus vitia, homi- nesque duros, ad humiles, pietate, ac mansuetudi- ne clamans: O Declamationes sacræ! ad obstinatos:

*Matth. 3. & Lucæ 3.* Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ven- tura ira? Nolite dicere: Patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ad Publicanos autem, humilesque peccato- res in spiritu lenitatis, ajebat: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Fructus autem prædicationis ejus magnus: exi- bant omnes ad eum, ut baptizarentur, humiliiter confitentes peccata sua ex omni statu, & conditio- ne.

52

ne. Et cùm Joannes nullum signum faceret, quia tota vita ejus signum, ac portentum erat, plus vita, quàm miraculis omnium conversio fiebat: plus namque vita est ad concionem, quàm signa facere sine vita. Zelo autem pro castitate, & in publica scelera declamans, dicebat Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*: tunc misit eum in carcerem. Herodes in die natalis sui fecit cœnam Principibus suis, & in saltibus Herodiadis præmium fuit Præcursoris mors, adductumque est caput Joannis Baptistæ in disco, & datum est puellæ saltatrici, & ista dedit matri suæ. Quasi pauper Lazarus in ejus transitu adfuerunt Angeli, & factum est ut portaretur ab illis in sinum Abrahæ: hæc mors pretiosa in conspectu Domini, nec tantum per manus Angelorum recepta anima; sed ab ipso Deo suscepta, & in sinum Abrahæ deposita ut quasi nuntius, & præcursor, sicut in nativitate ejus multi sunt gavisi, sic Patres Limbi ex adventu Joannis, quasi proximè enuntiantis mortem Christi, etiam magno gaudio replerentur. Mors autem Herodis, Herodiadis, ac filiæ post infoelicem vitam, infoelicior fuit, adimplatumque in illis, quod dicitur: *Tenent tympanum, & citharam, ducunt in bonis dies suos, & in punto ad inferna descendunt: hæc est mors pessima peccatorum; sic & mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* O quàm pretiosa mors justorum in conspectu Dei, & quàm altissimo Throno super Beatos, & plures Angelos in Cœlo frueris Præcursor Sanctissime, qui nullum habuisti inter natos mulierum gratia maiorem! *Clausisti oculos in morte, ajebat Ambrosius, non tam consuetudine mortis, quàm horrore luxuriae.* Hos ad nos è Cœlo converte, ut nostras videoas necessitates: os illud exangue conticescit, & adhuc timetur, illud intercessione aperies, ut nobis impetres veniam, & qui clamabas poenitentiam, hanc efficaciter nobis impetres, ut illam ex corde declamemus, & prece tua spiritus verè illius nobis infundatur.

Job. 12.

## DECLAMATIO X.

AD SANCTUM JOSEPH , SPONSUM  
Virginis , Jesu Christi Domini Nostri  
putativum Patrem.

*Filius accrescens Joseph , filius accrescens , & de-  
corus aspectu : fiant in capite Joseph , & in ver-  
tice Nazaræi , &c. Genesis 49. v. 22.*



OSEPH interpretatur augmentum ex-  
cellentissimæ sanctitatis , juxta dignita-  
tes , ad quas electus est gratis , à Deo  
donatas , encomiandumque pro nostra  
necessitate dignum judicamus assume-  
re : Jeremiam in utero sanctificatum  
pro adimpletione muneric prophetiæ communis fert  
opinio , Joannem Baptistam , tamquam Præcursorum  
adventus Christi. Josephum verò , ad sua munera  
dignè obeunda , Sponsi videlicet Mariæ , Patrisque,  
in existimatione hominum , Christi , tenent gravissi-  
mi Patres , inter quos Gerson , & Venerabilis , atque  
Illustrissimus Dominus Fr. Jacobus Perez de Valen-  
tia , de cuius laudibus supra. Nobilitas ejus generis  
talis , quod sceptrum Juda hæreditatio successionis  
jure per Josephum devenit ad Christum , ita quod  
sic adimpletum videatur vaticinium : Non auferetur  
sceptrum de Juda , & Dux de fœmore ejus , donec  
veniat , qui mittendus est : Ex captivitate namque  
Babylonica , interrupta videtur hæc successio ; sed  
occultè servata , usque ad adventum Christi , licet  
non sub nomine Ducis , aut Regis , communis inter-  
pretum opinio tenet. De dotibus autem : substitu-  
tus Æterni Patris , cuius Parentes silentur , ut de eo  
di-

53

dici possit , quod de Melchisedech dixit Paulus ad  
Hebreos 7. *Sine Patre , sine Matre* , nota , & ma-  
nifesta. Pater matrimonialis Christi : quod autem in  
agro meo nascitur , meum est , dicit Jurisconsultus,  
& glossa , cap. *Dilectus* : quid dignius in terra ? Hinc  
fit, quod Joseph fuit etiam Vice Angelus custos Chris-  
ti ; item & Consiliarius Christi , & Mariæ. Fidelis  
servus , & prudens , atque justus , sicut Angelus ille,  
de quo Ezech. 40. qui mensura calami metiebatur  
Templum dominicum , & pondere stateræ , quod ha-  
bebat in manu Angelus , Apocalyp. 6. Sic pondera-  
bat Joseph Mariæ honestatem , ut in minimum lanx  
ad *sinistrum non verteretur* prudentiæ autem virtute  
excellens , sicut Salomon , quâ rectâ directione viam  
Ægypti , eventusque reliquos , & occursus pondera-  
bat. Supereluxit etiam in eo fortitudo , sicut in Sam-  
fone , qua itineris, exiliique labores substinebat ; tem-  
perantia in Joseph fuit sicut in Nobili Isaac , per  
quam omnia suaviter moderabat. Humilitas , quâ se  
indignum judicabat inter Christum , & Mariam , nec  
audebat Christum brachiis sustinere , aut Virginis  
societatem habere , ut vel ideò vellet occultè dimit-  
tere. Accrescens virtutes , & dona super Sanctos præ-  
cedentes , fidem super Abraham , obedientiam plus-  
quam Isaac , tolerantiam , & patientiam in laboribus  
plusquam Jacob , castitatem plusquam Joseph , Jaco-  
bi filium , familiaritatem cum Deo plusquam Moyses ,  
charitatem erga Populum plusquam Samuel , humi-  
litudinem , & mansuetudinem plusquam David. Beatus  
vir , cuius est auxilium abs te ; ascensiones in corde  
tuo disposuisti , à virtute in virtutem , ut videres Deum  
in Sion : velut scalam Jacob , & gradus ejus assidua  
meditatione , exercitiisque vitæ activæ , & contem-  
plativæ ad summum perfectionis apicem cum Sponsa  
Beatissima Virgine ascendens ipsos Seraphim excessisti:  
in morem religiosi Chori Maria , & Joseph Domi-  
no orabant nocte media , imò & tota die , & nocte.  
Domino præcinebant , matutinum persolvebant , quos

tunc

tunc charitatis globulos , ajebat S. Petrus Chrysologus , velut ardentia cibana , eorum pectora non evomerent ? Et quia ad familiaritatem cum Deo in oratione adeò juvat puritas , quoniam ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. *Impedimenta orationis removet* , eo virginitatem gradu habuit , in qua adeò excelluit , ut frequenti à societate continua cum Virgine , nullam etiam cogitationem experiretur. De herba dicta *Agnus Castus* scribitur , dormientibus super eam omnes motus contra castitatem extinguere ; & quoniam talis erat Virginis puritas , ut solo aspectu intuentibus , non solum nec minimas cogitationes excitaret , sed imò puritatem præberet , eò inter reliquas virtutes hæc fuit specialissima in ipso , ut motus non sentiret , sed omnia puritatem redolerent. Martyrem te appellem , quoniam ferrum pertransiit animam tuam judicantem sponsam prægnantem ; hæc autem te cogitante , inter adversa , & prospera , quanta pertulisti ? Inter illa namque directa est vita vestra : O foelicissima Sponsa cum tuo dignissimo Sponsori ? Nec ad tantam gloriam , tantaque gaudia nisi per gradus exercitationum ascendisti dolens in cogitatu , gaudens bethlehemitico gaudio , rursus dolens , vel in circumcisione , vel in exilio. Angelorum turmis itenere in Ægyptum associatus , iterum in reversione gaudens : tandem , ut alia omittamus , fœliciori transitu , & morte , vigiles ad horam Christus , & Virgo , simul astiterunt tibi , ore sereno. Sileat Moyses moriens jubente Domino , seu ut alii vertunt , in osculo Domini , nec ejus cadaver apparuit , cumque Michael Archangelus disputans cum Diabolo , altercaretur de Moysi corpore , volebat namque ipsum in apertum producere , ut occasionem daret Hebræis idolatriæ , quoniam credibile est , inquit *Alap , bis* , eundem splendorem vultus irradiare in eo post mortem , quām vivus ex consilio Sermonis Domini acceperat , eo non est permisum in apertum prodire ; sic piè liceat de tam sanctis

55

Etissimō Patriarcha discurrere , ut dicamus : *Non apparuit ; quia tulit eum Dominus* : Ergo ad te tot privilegiis , & gratiis ornatum adeſt , cum fiducia , ḡex fidelium , plenusque tuo nomine , jam corda , & ora personant . De his privilegiis Seraphica M. Teresia à Jesu , B. Birgitta in suis Revelationibus mirabilia loquuntur . Diva Teresia quoniam elegit in Patronum , nil sibi memorasse sua devotione expetitum , quod sibi fuisset denegatum ; propter quod in testamentum suis filiis , ac filiabus , & in præceptum , quasi in hæreditatem mandavit . Ejus devotio prædestinationis signum . Septem dolores , gaudiaque recolens , ejusque Beatissimæ Sponsæ , ac Virginis Matri Mariæ , multa privilegia lucratur : castitatis donum , reportat , advertasque cogitationes temperat , atque minuit . Gratiā , atque auxilia in hoc periculoso certamine ad victoriam consequendam , confert pravosque motus prohibet in hora mortis , solatium , fœlicemque transitum ad gloriam : ergo in solatium tibi affectæ devotionis benedictiones fiant in capite Joseph , & in vertice Nazaræi Gen. 49. ejus : Deus Patris tui erit adjutor tuus , & omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli desuper , benedictionibus abyssi jacentis deorsum , benedictionibus uberum , & vulvæ ; adeamus ergo cum fiducia juxta Apostolum ad Thronum gratiæ , ut misericordiam inveniamus in auxilio opportuno , & sicut illi antiquo Joseph Pharaon Agypti Rex annulum ad sigillum Gen. 41. tradit illis verbis : *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum , aut pedem in tota terra Agypti* ; sic in tua potestate , in regno Dei excelsi cantico nuptiali David Psalm 44. juxta expositionem Episcopi Christopolitani , coelestem despousationem tui cum Maria prænuntiavit , primò dignitatem Sponsi , speciositatem ejus , divitias spiritales , scilicet , nobilitatem , reliquasque dotes , inde dignitatem , pariter Sponsæ , ejusque pulchritudinem , reliquasque pariter dotes , tandem fœcunditatem prolis tibi tamquam putativo Patri , obtemperantis , tibi fuit subditus , cui

Psalm. totus orbis subest, probatus igne tribulationis. Pro-  
 25. ba me Domine, O tenta me; ure renes meos, O cor  
 meum. Quanto gaudio admirationis pleno dices: Un-  
 Lue. 1. v. de hoc mibi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Fac  
 43. in Sacra Communione Christi id ipsum ex corde  
 devotissimè repetere: Et si Seraphim illi velantes alis  
 pedes, & caput ante Thronum duabus cordis alis  
 volabant, fac nos, qui Seraphim estis ardentes, Ma-  
 ria, & Joseph alis velare cordis arcanum, pectus of-  
 ferre, ut Deum super omnia diligentes, in Patria tan-  
 dem coronemur æterna. Amen.

## DECLAMATIO XI.

AD M. P. AUGUSTINUM, ET QUASI  
obviè ad D. A. D. Thomam Aquinatem.

Invenit se Augustinus longè esse à Deo in re-  
 gione dissimilitudinis.  
Eccle. in  
ejus Off.



REAVIT Deus hominem ad imaginem  
 in natura, & ad similitudinem in or-  
 dine gratiæ, ut diligendo, & in virtu-  
 tibus proficiendo in ejus imaginem  
 transformaretur, & in gloria revela-  
 ta facie ipsum Deum contemplando si-  
 milis ei esset videndo eum sicuti est. Sed proh do-  
 lor! vix è manibus ejus elapsus fuerat, peccando ima-  
 ginem deturpavit, potentiam Patris, sapientiam Filii,  
 amorem Spiritus Sancti, quæ in Uno Deo Trinitatem  
 Personarum cum Unitate essentiæ designabant, in fœ-  
 ditatem conversæ pro potentia, defectus illius, ac  
 debilitas; pro scientia, ignorantia; pro amore, pra-  
 va affectio successerunt. Hæc est imago peccati, hoc  
 est Doemonis simulacrum. Projectus est homo de Pa-  
 radiso, abiit in regionem longinquam, extra se exul,

57

donec in se reversus ; vel ut prodigus ; quoniam extra se erat ad regionem similitudinis convertitur, qui in dissimilitudinis regione exulabat a se , in hac invenit se Augustinus longe esse a Deo , audivitque tamquam vocem canentem sibi , quasi audiret vocem Dei de celo : *Cibus sum grandium , cresce , & manducabis me , nec tu me mutabis in te , sicut cibum carnis tuæ , sed tu mutaberis in me :* sed usquequod crevisti, Magne Pater ? Imponam silentium ore meo , si breviter locuturus sum , qualiter in immensum brevitatem perstringam ? Intellectu , voluntate , & memoria , Trinitatis memoria adumbratur ; intellectu propè divinus vocaris a filio inter omnes præcipuâ dilectione digno D. Thoma à Villanova : *Monastrum quoddam ; voluntate , quasi Seraphim , ajebat D. Paulinus , divino amore inflammatus , conjunctus Sanctissimæ Trinitati ; & dum Moralia Divi Gregorii quererentur , ut scribit B. Jordanus de Saxonia in Procesione Sanctorum , dum minus inveniatur Augustinus , responsum est : Augustinus , de quo queris , est in altissimo Solio , ubi disputat de gloria Trinitatis ; memoria , ita ut scribente Ambrosio Coriolano , Generali Ordinis , Oratione habitâ coram Summo Pontifice : Nullum vix tamen lata memoria , immo post Apostolos , & intelligentia , ut Ecclesia canit : Post quos secunda dispensandi verbi Dei primus effulgit gratia . Vulgari eloquio dictus primus post Apostolos : enimque perfectam analysim , filius Dei in quo sunt omnes thesauri sapientiae , & scientiae Dei , Apostoli , qui juxta Angelicum Doctorem , ut viciniores fonti pleniùs hauserunt sapientiam , & gratiam , post quos Doctores ; vide , quem locum dederis Augustino ? Post hos Divum Thomam Aquinatem , Quintum Doctorem , seu quintam essentiam ; vide Augustinum contractum , in quo , si locum haberet pythagoricus error de transmigratione animarum , dici potest , animam Augustini migrasse in Thomam , qui tot miracula patravit , quot articulos conscripsit ; scripsit*

H

au.

autem articulos 3111. Vide lucem diei primæ , quæ in corpore luminoso, & in massa creata est , die quar- ta in Solem , Lunam , & stellas , in signa , & tem- pora dies , & annos divisam ; lux primæ diei est Au- gustinus ; lux diei quartæ divisa in quatuor partes, quæstiones , atque articulos , Doctor Angelicus. Hi sunt duo oculi Ecclesiæ , duo luminaria magna , duæ columnæ Templi Salomonis. Dicamus de Augustino, quod Ecclesia canit : *Tu Legis Salomon novæ , vivæ fons sapientiæ , prodest plus fidei unicus omnis, quam nocet heresis.* Clamemus de Doctore Angelico : *Eccœ plusquam Salomon hic :* dicamus de utrisque , quod de Salomone Spiritus veritatis est locutus : *Dedit Deus Salomoni sapientiam , & latitudinem cordis , quasi arenam maris.* Tria sunt nomina Salomonis : Ididiath, doctus à Deo ; Lamuel , dilectus à Matre. O Sancta Mater Monica , dupliciter Augustini Mater ! Koeleth, Domini Congregator. Fuit sapientior Heman, & Ethan, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol, id est , Prophetis le- gis naturæ , & scriptæ , &c. Ad vos ergo lapsus de- clamat corde , & ore ad pœnitentiam veniens , ut misericordiam habeat in auxilio opportuno.

Describens Textus sapientiam Salomonis , sic ait: *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolæ : & fuerunt carmina ejus quinque millia :: Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis.* Hæc de Salomone. Vide modò in Augustino ex Volusiano : *Legi Dei deest , quidquid Augustinum con- gerit ignorasse.* Ad Divum Thomam ex Buzero : *Tolle Thomam , & dissipabo Ecclesiam.* Ad Augustinum, ex Isidoro , & Divo Vincentio Ferrario , nam libri ejus innumerabiles sunt : *Mentitur , qui te totum legisse fatetur :* nam tanta scripsit , ut diebus , ac no- ñibus , non solum scribere , sed nec legere libros ejus quisquam possit. Quando scribenda meditaba- tur ? quando studebat ? Sed ut ipse ait : *Omnes ar- tes , quas liberales vocant , nullo tradente , aut docen- te per memetipsum legi , & intellexi :* credo , Domine,

quod

quod tu me docueris. Divus Thomas solitus dicere sodali suo Fratri Reginaldo : *Quidquid sciret, non tam studio, & labore suo percepisse, quam divinitus traditum accepisse.* In Castello S. Joannis , ubi à fratribus captus , & detentus , didicit totam Bibliam , Aristotelis fallacias , aliaque plura. De Augustino , qui miraculum columnæ nubis , & ignis in Ecclesia renovavit , quod designans Deus in primo Conventu , primaque fundatione Tagastensi , talis Columna apparuit ; ab Ecclesia , Summisque Pontificibus per singula sæcula ejus doctrina approbata , consecrata à Conciliis , ut eorum norma , eorumque regula venerata. Ad Divum Thomam , cuius Summa pro Ara deservit in Concilio Tridentino , in aliisque Conciliis ab uno latere Sacra Biblia , ab alio Summa Di vi Thomæ , ut eorumdem Oraculum Conciliorum , sub illis verbis : *Consulatur Divus Thomas* , sit habi tum. De Augustino : Malleus hæreticorum , quo scilicet malleo reliqua arma formentur , gladii , lanceæ , reliquaque omnia ; non solum pro erroribus sui temporis , sed ut Ecclesia canit : *Quæcumque monstra protulit , orcus quod inde proferet , libris repressa concident , quibus fides innititur.* Ita D. Fulgentius Episcopus : *Proinde memoratus Dei Pontifex ( scilicet Augustinus ) turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens , & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cælestis juvaminis virtute confringens , non solum ipse de hoste victoriam eferens triumphavit : quin etiam posteris certandi , & vincendi ordinem , si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur , ostendit.* D. Hieronymus de Augustino sic : *Macte virtute in Orbe celebraris : rursus te antiquæ fidei conditorem clamant.* Ex Divo Possidio in Vita Sancti Augustini : *Illi donatum est divinitus promeruisse adhuc in hac vita , Pelagianos , Manichæos , Donatistas , & Paganos , ex magna parte defecisse , & Ecclesiæ Dei sociatos esse , congaudere. Omnibus omnia factum , ex testimonio ejus-*


De Veritate Predestinationis , & gratiæ,  
lib. 2. cap.  
18.

dem S. Possidii , pronuntians in parvo tanta ; non aliter comprehendere valeo , sive pro Catholica Religione , pro Clericis , pro singulis statibus , vitæ co-lens arborem , Christi sanguine consitam , sudoribus irrigans , ut omnes fructum suâ irrigatione ferant; Ecclesiæ naviculam provide gubernans , eamque in portu salutis invehens , post mortalis vitæ cursum è fluctibus liberans , salutis in portum vehat. Ex S. Prudentio, Episcopo Tricassino: *Nullus Doctorum abstrusa Scripturarum scrupulosius rimatus , diligentius exquisierit , verius invenerit , veraciùs protulerit , luculentius enodaverit , fidelius tenuerit , robustius defendenterit , effutiūs disseminaverit.* Et tandem quoniam de dilecto numquam satis ; *claudite jam rivos pueri sat prata biberunt , encomioque pariter D. Prospere dicemus:*

*Fontem vite os tuum dixerim*

*Flumina librorum , mundum fluxere per omnem;*  
*Quæ mites , humilesque bibunt , composque animorum ,*  
*Certantque vitalis doctrinæ immittere rivos.*

Et cum D. Fulgentio : *Hunc legat , qui salutem æternam adipisci desiderat , humiliter orans misericordiæ Dominum , ut eumdem spiritum intelligentiæ legens accipiat , quem ille accepit , ut scriberet : & eamdem illuminationis gratiam adipiscatur , ut discat , quam ille adeptus est , ut doceret.* Et ut pro nostra tenuitate cuncta uno verbo complectamur , & in uno cuncta dicamus , ex Augustino Parente : *Deus meus , & omnia.* Ex Angelico Doctore : *Quam mercedem accipies ? Non aliam , Domine , nisi te ipsum.*



## DECLAMATIO XII.

AD ST<sup>AM</sup> MARIAM MAGDALENAM,  
 & reliquos Sanctos, qui aliquando pec-  
 carunt.

*Arcum meum ponam in nubibus; & erit sig-  
 num fæderis inter me, & inter terram.  
 Gen. 9.v. 13.*



NITIO mundi die 4. creationis, habet Gen. 1.v.  
 textus: *Fecit Deus duo luminaria mag-  
 na, luminare majus ut præfet diei: lu-  
 minare minus ut præfet nocti; & stellas,*  
16.  
*& posuit illas in firmamento Cœli. Vi-  
 de Solis, & Lunæ creationem, ut lu-  
 ceant in firmamento Cœli, & præsint diei, ac noc-  
 ti. Ex Lanspergio Cartusiano in utroque luminari adum-  
 bratur, in Sole B. V. Mater Maria tanquam Sol, ut  
 præsit diei gratiæ, eorum qui servantes innocentiam  
 numquam peccarunt; in Luna ex alio capite Diva Ma-  
 ria Magdalena, quæ appellata fuit *peccatrix*, de qua  
 Dominus ejecerat septem doemonia, ut præsit nocti  
 peccatorum, eorum scilicet, qui aliquando lapsi, si-  
 dera tamen in nocte culpæ, lumina virtutum, exem-  
 plorumque vibrantes, tanquam stellæ fulgent in per-  
 petuas æternitates. Vedit Joannes in Apocalypsi stan-  
 tes super mare vitreum cantantes canticum agni; in-  
 nocentia mare perlicidum, sed verè vitreum, quia  
 fragile; hi quasi in numero parvo designantur, cen-  
 tum quadraginta quatuor millia, &c. Numerus autem  
 eorum, qui exciderunt quasi absque numero stellis com-  
 paratur: *Numera stellas, si potes, dixit Dominus Abra-  
 hæ; sed Deus numerat multitudinem stellarum, &  
 omnibus eis nomina vocat. Nec tantum stellis, sed &*  
are.*

Gen. 22. arenæ matis filii Abrahæ annumerantur: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest; quin & David*

Psalm. 138. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Nec inficietis, aut confundaris quasi nimio timore correptus, quasi liberius, & super arenam dicantur dinumerati, quasi sint multi vocati, sint tamen pauci electi; quoniam hi justis in manu Dei comparentur, juxta illud: *Fastorum animæ in manu Dei sunt*, qualiter arenæ in pugillo, aut in manu Dei, licet innumerabiles sint, paucissimæ tamen comparativè ad arenam, quæ jacet in lito-  
tore matis; sic aliquando legebam, sed noli vexari, non ita arctatur Divinæ misericordiæ attributum, de quo quidem alibi ex proposito æquali desiderio desi-  
dero dilatare corda, & corda omnium. Sed acceda-  
mus ad rem: Maria Magdalena præsidet tanquam caput ad præsentiam B. V. Matris Mariæ, quæ ut Sol lucet in die innocentia; illa autem in nocte poeni-  
tentia stellis, & arenæ maris, sive peccatorum, quo-  
niam bonitatis Dei non est numerus, ejusque pie-  
tatis infinitus est thesaurus; nunc juxta Jeremiam:

Jeremias 20. *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausus-  
que in ossibus meis; defeci, ferre non sustinens; an pec-  
catores desperabimus?* Absit: *Arcum meum ponam in nubibus, eritque signum fœderis inter me, & inter terram.*

Angelicus Doctor assumit hoc thema in Serm. Divæ Mariæ Magdalenæ: vide modò arcum, & benedic eum, qui fecit illum: tessera, & sche-  
dula Divinæ pietatis, non deficiant miserationes Dei super terram; nè sit ultra diluvium dissipans terram. In nube torida reflexi radii solares Itidem formant. Magdalena nubes torida, reflexi radii solares Christi: ut cognovit, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Nubes torida Maria lacrymosa ratione materiæ, ra-  
tione finis, ait Angelicus Doctor, ut sit in signum fœderis. Nescio an quodlibet ex donis innocentibus concessum fuisse, lapsis denegatum. Solent Principes,

ac Reges plus in deliciis habere ea , quæ sibi par-  
ta labore , sumptibusque bellorum acquisierunt, etiam  
post longam resistentiam plus in pretio habete , quo-  
niā propter quæ multa sustinuerunt , inde pluris di-  
lexerunt. O quanta , bone Deus , pro nobis pecca-  
toribus sustinuisti ! Ita considerabat Mysticus quidam  
contemplativus. Pro his de Cœlis ad terram des-  
cendisti , non vocare justos , sed peccatores ad pœ-  
nitentiam , salvum facere quod perierat ; quot oppro-  
bria , quot flagella usque ad crucem , & mortem  
dedisti tuum sanguinem : an quod tantum valeat, fa-  
cile despicies ? Ergo Magdalena peccatrix , ad te  
confugimus peccatores. Cuidam Fratri ex Ordine Præ-  
dicatorum , quasi non valenti rigorem pœnitentiæ , so-  
litudinisque sustinere tedium , ideoque cogitanti  
Monasterium relinquere ( Massiliæ refertur hoc eve-  
nisse ) apparuit Diva Magdalena referens qualiter in  
illa solitudine apparens illi Dominus dum assueta pe-  
dibus Domini , ibique optimam partem eligens , post-  
quam liberata , miraculosè à naufragio navi sine ve-  
lo , & remis , vasto mari jactata , appulit inquam ,  
& ad portum. Dixit mihi Dominus : *Propter te hæc  
loca disposui , tringita tribus annis erit pœnitentia  
tua , quoniam tot propter te vixi : crucem adhibui  
ad specum , destinato Angelo Michaele ad specia-  
lem custodiā ; quoniam nec defuerunt tentationes ,  
dœmonumque horrendæ pugnæ , & insultus : hinc  
quotidiè elevata ad Cœlos ad divinas laudes persol-  
vendas : vestimenta non sunt attrita , multique aliis  
relatis , vade , inquit , modò , & signo pulcherrimo  
florum fode , invenies caput meum signatis in fron-  
te digitis , quos Dominus impressit in die Resurrec-  
tionis : juxta invenies ampullam cum sanguine con-  
creto , terraque quam collegi juxta crucem stans in  
die mortis Domini . His animatus Frater , perseve-  
ravit in bono , & tandem assequutus est palmam. O  
foelix Eremita Magdalena ! O Anachoreta , & solitaria ,  
cui dedit pennas sicut columbae tuus dilectissimus*

Sponz

Sponsus, quem dilexisti multum; ac ideo tibi multum dimisit; his pennis evolasti, & quievisti, ducata es in solitudinem, & ibi lactata es, ebibisti poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum; facta es quasi divina ineptiata dulcedine domus Dei. Torrente voluptatis Dei potasti fontem vitae. O extasim amoris! Æmula Angelorum, etsi Luna Solis æmula dicta, in nocte peccatorum quasi æmula Solis inter tenebras hujus saeculi, donec dies elucescat, eris ductrix, atque Patrona. Difficulter, & hinc quasi non valeo abire: quot bona Deus elicit ex peccatis! Quoties dici potest: O felix culpa, quæ talis, ac tantum meruit habere Redemptorem! *Melius judicavit*, ajebat M. P. Augustinus, *de malis bona facere, quam mala nulla esse, permettere*. Et idem de Lazaro; *Distulit sanare, ut posset resuscitare*. Ex motivo poenitentiae, & humilitatis effectus sunt praedestinationis. Si non esset miseria, non sic manifestaretur misericordia: o nos, qui tot saeculi sumus errantes, sequamur & poenitentes.

Sequendo autem Declamationem ad Sanctos, qui aliquandò fuerunt peccatores, quam multa exempla, quamque conversiones mirabiles, quot in instanti velut alter Latro in cruce furati sunt Cœlum, & ut exempla sunt obvia, videtur multis inter majoris notæ Sanctos, excellentiorisque sanctitatis fuisse peccatores: Petrus, qui flevit; Paulus ex majori persecutore Ecclesiæ, annuntiator, & veritatis Prædicator; Thomas ex diffidentia, & infidelitate, fidelis: *Dominus Deus, O Deus meus*. Et reliqui Apostoli, qui & timuerunt, & fugerunt. Magnus P. Augustinus, vel Logicā, & inani Philosophiæ Ecclesiam turbans, vel ex vitiorum cœno, ut ejus capit Officium, in omnes adolescentiæ cupiditates defluxit; corruptus ipse, & aliorum corruptor. Deficeret tempus, si alios percurrere vellem. O solatium peccatorum! Quis tot exemplaribus desperabit? Dei promissio: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, O*

vivat : in quocumque die ingemuerit peccator , omnium  
iniquitatum ejus non recordabor : impietas impii non no-  
cebit ei , in quacumque die conversus fuerit ab impieta-  
te sua : cœlum , & terra transibunt , verba autem tua  
Domine non præteribunt. Peccatori præcipis emendam,  
& confidentiam ; promittis , & præcipis spem : non-  
nè erit promissio seria ? aut præcipies quæ non adim-  
plebis ? Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum ; re-  
cordatus est quoniam pulvis sumus. In veteri Testamen-  
to de Achab impiissimo Rege quasi parvam mutationem  
promittente, & Dominus ad Eliam : Nonnè vidisti Achab  
humiliatum coram me? idcirco non inferam malum in die-  
bus ejus, &c. De Ninivitis idem, nec exemplar in adver-  
sum adduces : ergo in te Domine speravi non confundar  
in æternum. In justitia tua libera me ; non in mea, sed in  
tua, quoniam tua mea est. Exspectat Dominus ut misere-  
tur vestri; & ideo exaltatur parcens vobis. Sit ergo ulti-  
ma respiratio vitæ : Tibi soli peccavi, & malum coram te  
feci. Diligam te Domine fortitudo mea : Suades eme-  
re aurum probatum , pretiosum , &c. Talis est chari-  
tas ; non dicam : Dives sum , & nullius egeo ; non  
venisti vocare justos , sed peccatores ad poenitentiam.  
De Prodigo , de Samaritana , de Chananæa , &c. Taxa-  
bant Gentiles Christianos , quia munera non offere-  
bant Jovi; respondit Tertullianus: Porrigat Jupiter ma-  
num , & accipiat : non est in culpa Christianus non dans,  
sed Jupiter non accipiens. Ideo accusabat Diabolus mag-  
num Pontificem gemmam Sacerdotum Sanctum Marti-  
num Turonensem Episcopum , quod nimius , & exce-  
dens esset in peccatoribus parcendis ; respondit Sanc-  
tus : Si tu , infelix , resipisceres , & tibi veniam da-  
rem. Nos ergo & voluntatem retractamus , & te Do-  
mine in omnibus , & super omnia diligimus : te quæ-  
ro , te volo , te obsecro , in te omnia , & tu in omni-  
bus. Minimus virtutis actus plus valet , quam deme-  
reantur omnia peccata. Da nobis fidei, spei , & chari-  
tatis augmentum; dimitis quæ conscientia metuit; & ad-  
jicies quod oratio non præsumit, cor contritum quasi  
cinis , &c.

3. Reg.

21.

Isaiæ 30.

Psal. 50.

Apoc.

# DECLAMATIO XIII.

## DE BEATITUDINE, SEU GLORIA Cœlesti.

*Momentaneum, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* 2.ad Corinth. 4. v. 17. & 18.



UONIAM nihil tām ad sustinendos labores excitat, quām propositio præmii, quoniam qui in stadio currunt, ad accipiendum bravium currunt; qui in agone contendunt ut corruptibilem coronam accipient, ab omnibus se abstinent: non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: considerandum est, quale sit propositum gaudium, ut sustineamus crucem labore contempto. Vedit Joannes in Apoc. 21.

*Civitatem sanctam Jerusalem novam descendenter de Cœlo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo, & audivit vocem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Est autem gloria: Status omnium bonorum aggregatione perfectus; sic & omne bonum, quod nullum malum, perfectè satians bonum, securitas non amittendi illud.

Disputabat quadam die Augustinus de vita beata, illam inquiebant esse, quā homo quidquid desiderat, habet. Accessit S. M. Monica, quasi ad hanc disputationem, & respondit: sed ita, ut nullum malum velint. *Dilata os tuum, & adimplebo illud:* Vide cuncta bona, dejice cuncta mala: hæc est gloria: qui

replet in bonis desiderium tuum. De Empyreo Beato-  
rum sede: *O Israël*, quām magna est Domus Dōmi-  
ni, & ingens locus possessionis ejus, magnus, & im-  
mensus, & non habens finem! Minima stella qua-  
tuordecim vicibus major est terrā, aliæ centum vi-  
cibus: qui ergo numerat stellas, appendat palmo la-  
titudinem Cœli. Empyreum dicitur à *Pyr*, quasi ig-  
nis lucens, non combutens; vox Domini interciden-  
tis flammam ignis, seu dividentis splendorem sine ar-  
dore; sicut in inferno è converso, ardorem sine lu-  
ce. Considera naturæ ordinem, gratiæ, & gloriæ. *Non*  
*judicia mea*, dicit Dominus, *judicia vestra*, nec viæ  
meæ sicut viæ vestræ; sicut exaltantur Cœli à ter-  
ra, ita exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, &  
*judicia mea* à *judiciis vestris*. Vide quantum distant  
Cœli à terra, ordo naturæ ab ordine gratiæ, & hic  
à gloria. *Oculus non videt, auris non audit, nec*  
in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus dili-  
gentibus se. O inter ordines distantia! Quasi nihilum  
ad omnia comparatum: hæc à Deo facta sunt infini-  
tâ potentiatâ, sapientiatâ, & bonitate. Commendatur  
locus ab amoënitate, delectabilitate, plusquam Para-  
disus terrestris, & omnia voluptatem in mundo ha-  
bentia, non bonis, & malis, sed solis bonis; non pe-  
regrinis, & civibus, sed solis electis in præmium om-  
nium laborum. Est autem Dominus, qui præmiat, &  
solvit: *Manus mea fecit hæc omnia*; si talis mundus  
communis bestiis, & hominibus bonis, & malis, lo-  
cus exilii, quoniam incola multum facta est anima  
mea, & dies peregrinationis nostræ, parvi, & mali  
in terra spinas germinante, quid erit Patria? Habita-  
tio digna Sanctis, & Deo: *Quædum dilecta tabernacula*  
*tua Domine virtutum: concupiscit, O deficit anima*  
*mea in atria Domini: cor meum, O caro mea exul-*  
*taverunt in Deum vivum.* Et à civibus commendatur  
civitas. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæ-*  
*cula sæculorum laudabunt te.* Angelorum millia millium,  
quorum millium non est numerus, multitudo plebis

1. Co-  
rinth.2.

Psal.83.

gloria Principis, paucitas populi ignominia Regis. Prophetarum, & Patriarcharum laudabilis numerus, fide, ac spe laudabilis populus; Apostolorum gloriose chorus. Martyrum in Sanguine Christi candidatus Exercitus, Confessorum, Virginum, Eremitarum, & Anchoretarum nobilis cœtus, illic nos sperat multitudo charorum. Patria nostra, *dulce videre* suos, natosque amplectere *dextera*. Quid videbis in Sunamitide (quondam *captiva*) nisi chorus castrorum? Doctor Angelicus de gloria essentiali, talem esse considerat, quoniam major esse non potest, nec valet Deus maior rem facere. Quia pro objecto habet ipsum Deum, cuius beatitudo in se ipso est, unde & nostra in possessione Dei est, hoc est omne bonum, unde & David: *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua*. To-

*Q. 92. ad  
dilect. 1. p.  
q. 25. art.  
6. ad 3.*

*Psal. 16.*

*Psal. 35.*

*Psal. 70.*

ta in Deum transformata anima, quemadmodum igit in se ferrum transformat, præbens ei lucem, ardorem, & splendorem, ut plus videatur ignis, quam ferrum. Anima, ejusque potentia, intellectus, memoria, & voluntas Deiformes factæ inebriabuntur abundantate Domus Dei, quoniam ibi est fons vitae, *& in lumine tuo videbimus lumen*, quoniam torrente voluptatis tuae potabis nos: *introibo in potentias Domini*, memorabor justitiae tuae solius, *& memor ero, & in me anima mea tabescet*. Memoriam suavitatis tuæ eructabunt, nec eructatur cibus nisi ex abundantia, dulcedine, & suavitate. Præterita, præsentia, & futura (si quid est in æternitate futurum) ineffabile producunt gaudium, etiam memoria peccatorum, cum infinita misericordia Dei, semper plena Deo, numquamque valens ad alia divertit, ejusque præsentia fruens. Nec memoria, aut recordatio, nec timor erit mali, quia possessio est omnis boni. Intellectus, qui intelligendo omnia fit, Deum intelligendo, in Deum transformatur, nec ad aliud divertit, plusquam spongia in oceano, plusquam lumen penetrat aerem, plusquam anima corpus, & sensus, movet. Hæc omnia minimam comparationem habent plusquam defec-

tus

tus ex inæqualitate , quam perfectionem explicant ibi arcana Divinæ scientiæ , processionem Filii à Patre , & ab utroque Spiritu Sancti .

Dei inscrutabilia judicia in creatione , in gubernatione , & providentia mundi , clarè patebunt . O quām mens deficiet ! Hæret affectus , obmutescit vox ; non hæc ad loquendum præcipue à nostra mortali , & indignissima lingua . Et tu Omnipotens , & misericors Deus , qui sedis in solio excelso , & elevato , alis Seraphinorum velatus , purgari fecisti Isaiæ labia ignito carbone forcipibus de Altare allato , parce nobis miseris , prostrati namque hærentibus vultibus in terra ; qualiter nostris impuris labiis de gloria loqui non timemus ? Expavescat homo , vereaturque multum nimis de tali talia loqui , dumque tam distans ab operibus , poenâ dignus , non gloriâ , potius cum Publicano dicat , nec audens oculos ad Cœlum levare , percutiens pectus : *Deus propitius esto mibi peccatori.* Quid Luce 18  
si hujusmodi verbis sententiam subscribam , non ad gloriam , sed ad poenam propter peccata mea ? *Ubi fugiam nisi ad te,* Deus meus ? Peccavi super numerum arenæ maris , & multiplicata sunt peccata super capillos capitum mei . Verebar omnia opera mea , sciens , quod non parceres delinquenti . Ego dilecto meo , & ad me conversio ejus . Convertere Domine ad nos , & convertemur ad te facie ad faciem , dicebat Jacob etiam per solam fidem : *Vidi Dominum , & salva facta est anima mea : cùm apparuerit similes ei erimus , quia videbimus eum sicuti est :* Quoniam verò , quidquid in Deo est Deus est , attributa omnia , perfectionemque absque ænigmate cernet : O æterna dies , in qua non est nox ! Civitas non eget Sole , neque Lunâ , quia lucerna ejus est agnus . *Erit in die illa lux Lunæ sicut lux Solis , & lux Solis septempliciter sicut lux septem dierum :* fulgebunt namque justi sicut Sol in conspectu Dei in perpetuas æternitates . Mysteria omnia , majusque omnium , Incarnationem scilicet , absque ænigmate , & quid non vibebit , qui Deum videt ,

Gen. 32.  
v. 39.

1. Joann.  
3.

det, & possidet? Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Fidei succedit visio, spei possessio. Charitas numquam excidit: propriam cuiusque beatitudinem agnoscit, erga se ipsum divinam providentiam, qualiter vitam ordinavit, pericula submovit, adhuc peccata, & tot pericula,

*AdRom. 8.v.28.* quot in bonum monstra convertit: *Quoniam diligenteribus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Voluntas Deiformis, in Deum per amorem transformata: hic stringit indissolubiliter omnibus titulis, quoniam in Deo sunt; Deum amat ut Patrem, Amicum, Sponsum, ut principium, & finem: & si amor sentitur in donis, quid non dat, qui se ipsum dat? Exuberat anima omnibus virtutibus, eorumque actus exercet, quanto incremento, & augmentatione exercere valet: hoc est Manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit: *Gustate, O videte, quoniam suavis est Dominus.* In uno tantum, voluntate scilicet, & amore, stat tota perfectio in via, præmiumque in Patria. *Fili, præbe mibi cor tuum,* expetit tantum Deus: spernit hircum, & arietem, cùm tantum cordis mundi oblatione delectetur. Sicut intrant flumina in mari, ita in corde, quod intrat in gaudium Domini: ibi delectatio, ibi fruitio; ibi essentia, proprietatesque beatitudinis; & siste paulisper.

*Psal. 33.v.9.*

*Prover. 23.v.26.*

Sed numquid oblivioni tradimus B. V. Mariam in Cœlo supra Chorus Angelorum exaltatam, stantem à dextris Dei quasi Reginam, excedentem gratiâ, & gloriâ, tūm Sanctos omnes, omnesque Angelorum Chorus? Scriptum est in Cœlo Stellato Mariæ, quoniam in die Incarnationis Verbi in ejus utero apparuit visio sic: E Trono Beatissimæ Trinitatis ad cor Virginis egrediebatur fluvius Omnipotentiæ, illamque dabat Pater, fluvium exhibendo illius, illamque constituendo Omnipotentem super omnes creaturas. E pectore Filii alter fluvius Sapientiæ ad ejusdem cor illam constituendo sapientiorem omnibus. E pectore Spiritus S. alter fons Amoris ad ejusdem cor in superiori gra-

71

gradu, & privilegio super omnes, etiam super Seraphim: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas;* tanto melior Angelis effeta, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit; cui enim dixit aliquando Angelorum: *Mater mea est tu?* Agnoscamus ergo filii Matrem, quasi Esther juxta Assuerum, cui inclinatur sceptrum, vel traditur, Divina omnipotentia; sed quò vado? Si singula numerare velim? Agnosce mulierem illam Apocalypsis Sole amictam, Lunam habentem sub pedibus, coronam duodecim stellarum in capite portantem. Vide Bernardum sermone de duodecim stellis, seu duodecim privilegiis. Jam modò factum est silentium in Cœlo, hoc saltem brevissimo spatio redi ad cor, intra ejus cubiculum, adora Deum, & Patrem, ut possit de te dici postmodum: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.*

Prover.  
31.v.29.

Psal.47.  
v.9.

Brevi calamo perstringamus modò dotes, & gaudia corporis glorioſi, ejusque sensuum. Quatuor principales, agilitas, claritas, subtilitas, & impalſibilitas: iterūm repeto, quia & parva dicere intelligo, & ad multa properamus. Pro oculis, visionem Sanctorum, claritatem Cœli, pulchritudinem corporum, &c. Pro auditu, cantica Angelorum, & Sanctorum, cùm per vicos Civitatis, ut dixit Tobias in cantico, Alleluja cantabitur. Pro gustu, quoniam elegit Sanctos Deus, ut sedeant super Thronos in mensa ejus, & in Regno suo, eadem mensa, eodem ferculo, quo ipse Deus beatatur. Pro olfactu, odore suavissimo, alteriusque ordinis ad cunctos terreos odores, corporum Beatorum, præcipueque Christi, de quo dicitur: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur aquile.* Sic & in tactu per totum corpus disperso, cui nos interim dicamus: *Trabe nos post te, in odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

\*\*\*

DE-

# DECLAMATIO XIV.

## AD MINISTROS, ET DOMINI Sacerdotes.

*Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam  
facietis.*



UNC ad vos, ò Sacerdotes Domini, sunt sermones mei. O veneranda dignitas Sacerdotum, ajebat M. P. August. in quorum manibus, veluti in utero Virginis quotidie incarnatur Filius Dei. Non fecit taliter omni nationi; hanc dignitatem

Angelis non concessit, utque mod minoratus est homo paulò minus ab Angelis, amodò super illos exaltatur. Majus beneficium præstítit Deus hominibus;

**Ad Hæbreos 2.** quām Angelis: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrabæ.* Amodò homines super Angelos exaltat: **16.** *Hoc facite in meam commemorationem :: Hæc quotiescumque feceritis.* **Lucæ 22.** *Non fuit antea, nec postea tam longa dies obediente Deo voci hominis.* Stetit Sol in me-

dio cœli, & hoc semel, & ad vocem hominis iusti, & sancti, scilicet Josue; sed nunc ad omnium vocem Sacerdotum sine ulla limitatione loci, numeri, vel temporis obtemperat Deus; ita ut ex tunc modò usque ad finem sæculorum, sive boni sint, sive mali, numquam destiterit, vel una tantum vice omnibus se subjicere. Poterat Deus hoc ad numerum, locum, aliasve circumstantias coarctare; aut sicut in lege veteri Agnus paschalis singulis tantum domibus offerebatur, & tantum semel in anno, sic in hoc Sacrificio consisteret; nec ad solos Sanctos Sacerdotes, sed absque ulla restrictione ad omnes se extendit, sive in pravum finem, sive etiam, quod Deus averrat, ad opprobrium, despectionem, & contemptum non excusat, hæc omnia sustinens Deus. Hoc

pre-

pretiosissimum ; non rarum quod homines solent negligere ; sed tu , Omnipotentissime , ac liberalissime Domine, amore nostri quasi extasim patiens , ut rectos non defraudes , etiam sustines pravos. Hæc est plena potestas amoris sine mensura : o immensum pelagus amoris , o humilitas , & obedientia ! Sed ad manus Judæ , ejusque peccatus descendis ; huc pervernit tuus amor , huc nostra rebellio , nostrique duritia cordis. In Cœna dum expresit venditionem Judæ , ejusque Communionem sacrilegam , quæ prima fuit in mundo , probavit semetipsum : *Unus ( inquit ) ex vobis Diabolus est* ; tunc introivit in eum Satanus ; jampridem introierat cum venditionem meditatus fuerat , nunc completa est malitia ejus , Diabolo traditus , à Deo derelictus , cor ejus in possessionem Dœmonis , quoniam post buccellam introivit in eum Satanus : *Quod facias , fac citius* ; à coenaculo ad laqueum , & ut habet Chrysostomus : *Timet Diabolus nè morando locum inveniat pœnitentia*. Eò illum trahens exire fecit continuò. Quod si modò videamus vix ab Altari sine mora , sine ulla gratiarū actione ad sacerdotalia dedicamus profana reverti , benè judicavimus Dœmones extrahere , quia si aliquam mortam facerent , spes esset quod resipiscerent. Si quis scandalizaverit unum de pusillis , expedit ei , ut suspenderatur molla asinaria in collo ejus , & demergatur in profundum maris : O quale pondus Hostiæ consecratae ! *Bonum erat ei , si natus non fuisset homo ille*. Hoc Judas in inferno continuò execrando profert ; si remedium vertitur in venenum , ubi erit remedium ? Serpentes sunt in India , qui cum balsamo pascantur , eis in venenum vertitur : O prava dispositio malorum : *Mors est malis , vita bonis* ; vide paris sumptionis quam sit dispar exitus. In revelationibus Sanctæ Birgittæ habetur ei fuisse ostensum in visione de Sacerdote in mortali accedente ad Eucharistiam , dum singulis vestibus sacerdotis se induebat , Dœmones novam possessionem de ipso habebant ; ipso se induente , illi confusione , duritia , cæcitatem , ad singula illum obse-

Joan. 6.

Joan. 13.

Matth. 26.24.

curabant. In publica degradatione Sacerdotis ob publica, & gravia delicta, singulis sacerdotalibus vestibus exuitur; & quemadmodum in ordinatione sacra ad singulas vestes, virtutes quæ per illas designantur, ad illasque excipiendas oratur Deus, sic ex adverso exequitur in degradatione. Hæc ad litteram in ingressu inferni manente solo charactere ad opprobrium ejus; ut à Dœmonis exprobrentur, & illudantur. O infelix homo, ô mortalium infelicitissime! Verba protulit Christus Dominus ut noscet Judas, quia Deus erat, & occulta sciebat: non quasi Deus nesciret, aut non attenderet, *& quia citò non proferatur contra impios sententia*, ideò iniqui absque ullo timore perpetrant mala, vel etiam ex amore Judæ tacitus dolore cordis intrinsecus, propter ejus perditionem, eò suam scientiam explicat, ejusque libertatem ut ab excusatione non judicet se liberari, quoniam, ut ajebat S. Leo Papa: *Admisit in se impias farentium manus, quæ dùm proprio incumbunt sceleri famulatæ sunt Redemptori*; propter quod patiter minitando, & terrendo dixit: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Infoelix prognosticum habetur dùm nascitur monstrum. Influxus Cœli in ejus conceptione infaustus habetur, ex diversis speciebus constituitur. O quam infausta protendit! O immane monstrum! Ubi Deus, sacrilega Communio, innocens agnus, vipera cum Dracone, summum beneficium, vivente cum Dœmone truce. Quid hoc protendit? Quid in posterum? Quid ex his infelicitatis infelicitibus his non annuntiabimus? Omnia potest Deus, sed si homo propria voluntate resistit: quid infelicius erit? Ad vivum depicta est hæc tragœdia in threnis Jeremiæ cap. 4. tūm & Psal. 108. qui est de Juda proditore, & in anathemate lugubri tono recitatur: hæc omnia passim habemus ad manum, & frequenter legimus: utinam non sine consideratione. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus:: dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium*

Eccle-  
siastes 8.  
11.

Matth.  
26.24.

nium platearum :: candidi Nazaræi ejus , rubicundiores ebore antiquo , sapphiro pulchritores :: denigrata est super carbones facies eorum :: melius fuit occisis gladio , quam *interfectis fame*. Et Psalmus 108. *Constitue super eum peccatorem , O Diabolus stet à dextris ejus : fiat oratio ejus in peccatum , &c.* Perpende singula. Notanter advertunt plures Mystici , tria genera personarum concurrerunt , vel ad Bethlehem , quæ dominus panis interpretatur ; vel ad Calvarium ubi in memoriam mortis Christi jam fuerat instituta Eucharistia , & ubi Jesus erat , vel transibat prædicans , convertens peccatores , sanans infirmos quotquot tangebant eum , & præcipue in anima sanans ; nam juxta commune intelligitur quod quot in corpore sanabat , integrum in anima sanitatem donabat illis : *Quoniam totum hominem sanum fecit ; aliás parum esset beneficium : primi ergo generis erant qui omnino non attendentes , nec cogitabant , nec sciebant. Alii prætereuntes blasphemabant. Alii ex curiositate videbant ; tandem aderant Beata Virgo Maria , Discipulus quem diligebat Jesus , Magdalena , quæ dilexit multum , reliquæ animæ , piæ mulieres , &c. hujusmodi lamentabantur , hi stabant , & toto cordis affectu , ac teneritudine dulces fructus carpebant : quales nos inter istos in discipulatu , & imitatione Christi esse debemus: exeuntes ergo quasi à foetidis ergastulis ad naveam usque , dum de malis Sacerdotibus sermonem fecimus , quasi ab aere corrupto fœliciorem , & amœniorem auram respirantes transeamus ad bonos Sacerdotes.*

*Vos autem genus electum , Regale Sacerdotium , gens sancta , populus acquisitionis , ajebat Apostolus Petrus , qualis esse debet vita nostra , à vobis discam , non à me doceam : hoc namque esset superbite. Qualis vita , quales mores , convertamur ad cor , & ad nos metipso tota sit conversio nostra. Sola voluntas bona , solus amor , totus in Deum directus , bonos homines facit ; omnia spernit Deus ; cùm sola cordis mun-*

r. Pet.  
cap. 2. v.  
6.

di oblatione delectetur. Sanguis fundebatur lege Moy-  
si super Altare , quotidiè verus Christi sanguis super  
Altare cordis offertur. Præcipiebatur Altare mundū de-  
dicari ex lapidibus , quos omnino ferrum non tetigis-  
set : hoc ergo sit opus nostrum offerre Deo cor pu-  
rum , cor liberum , charitate Dei , & proximi ardens;  
zelans Deus totum cor quærit. *Confitebor in toto cor-*  
*de meo* , ajebat Psaltes Regius , quoniam proprium est  
perfectorum totum cor offerre Deo. Lectioni oratio  
succedat , & orationi lectio , ajebat Bernardus : au-  
diam quid loquatur in me Dominus , quoniam loque-  
tur pacem in plebem suam ; remanete cogitationes;  
ajebat idem Sanctus in ingressu Chori : multiplex vox  
Domini : loquitur Deus cordi per interiorem inspira-  
tionem , voce exterioris beneficii , voce comminatio-  
nis loquitur per Scripturas , & quoties eas legimus;  
nobis loquitur ; & dum nos oramus , ad Deum ser-  
monem facimus ; vel in Suggestu , vel in Confessionario  
tantum nos videant , & audiant ; nosque Deum in  
oratione sicut Moyses in Horeb , faciem abscondentes,  
majestatem venerabimur , & sicut Moyses calceamen-  
ta solvit , & nos locum , Deique præsentiam attenden-  
tes venerabundi terram calcabimus ; hortabimur po-  
pulos , & ipsi terram absque calceamentis , licet se-  
minatam spinis calcabunt , quia non spinis attendant,

**Esther 5.** sed Dominum spinis loquentem. *Cras cum Rege pran-*  
**v. 12.** *sfurus sum* , ajebat ille à Rege invitatus ; sic unum  
quodque sacrificium offeramus , sicut esset ultimum. Mor-  
tui enim estis , & vita vestra abscondita est cum

**Ad Col-**  
**lofen. 3.** *Cum Christus apparuerit vita vestra , tunc*  
*& vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quis non mi-  
retur in hyeme arbores quasi mortuos radice in terra  
occulta , rursum virescere in æstate? Facere comam qua-  
si cumprimum fuerant plantæ , rursum virescere , ad  
odorem aquæ germinare , fructusque reddere opimos ,  
sic sit & vita nostra: Angeli sunt Sacerdotes , nuntii  
sunt Angeli à Deo ad homines , ab hominibus ad  
Deum , hic tota sit nostri controversio: quid facimus ,

quia

*quia hic homo multa signa facit? Dixerunt Judæi in Concilio; respondit unus: Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat; moriatur homo exterior: si aliter venient Romani, & tollent locum nostrum, ac gentem: sed timeamus nè dum temporalia perdere timemus non cogitantes æterna, utraque deperdamus. Præcepit Dominus Abrahæ filium unigenitum super montem offerre; hic est amor noster unicè dilectus: ascendit in montem, reliquit in campestri jumentum, & famulos: jam extensa manus ad ictum, & clamabat Angelus: Nè extendas manum tuam super puerum; nunc cognovi quod timæas Dominum, non moritur Isaac, qui risus patris interpretatur; multiplicatur in illo semen, sicut stellæ Cœli, & arenæ maris; sanus descendit de monte cum Patre, sed dolor multus habetur reassumere jumentum corporis, cum famulis sensuum.*

Joan. 13.  
v. 47. &  
50.

## DECLAMATIO XV.

IN SAC. SACRAMENTO POENITENTIÆ,  
tùm in exercitio Sanctissimæ Orationis.

*Est autem Jerosolymis probatica Piscina, quinque porticus habens. Joann. c. 5. v. 2.*



OC erat prænuntium Sanctissimi Poenitentiæ Sacramenti, in remedium infirmitatis peccatorum. Probatica Piscina, stagnum, in quo lavabantur victimæ offerendæ Deo. Hoc stagnum erupit, ut aliqui dixerunt, quod ibi abscondebatur lignum de quo postmodum facienda erat Crux Christi, à Salomone ibi absconditum, eò quod nunquam ad fabricam Templi adaptabile fuisset, ut cùm ad Crucem extraheretur, adimpleretur illud Psalm.

117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Fides sit apud Auctores. Quinque porticus habens ad curandos quinque sensus. O oculi, ò manus! siste paulisper, & considera singula. Domus misericordiae dicebatur; ò quanta miseria! *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum,* Hugo Card. *Per ignorantiam: claudorum;* per vacillationem, velut dœmoniacus ille cæcus, mutus, & lunaticus, jam per invia, & inaquosa, jam per deserta loca, & sepulchra, ad quæ à Dœmone invehebatur; jam se elidendo, & ad petras quasi esset alter Hieronymus pectus suum conterens, sed verè dœmoniacus. Alia turba aridorum, idem Hugo, per cordis duritiam.

Psal. 59. Movebatur aqua, ut adimpleretur: *Commovisti terram, O conturbasti eam;* sana contritiones ejus, quia mota est. Sanabatur unus post alium, ob secretum naturalis, & divini juris inviolabile. Movebat Angelus: Sacerdos Angelus, vel quia ut Angelus nihil tibi, vel ex cœno, vel ex fœtore percipiendum est; vel quia Angeli sunt Sacerdotes, & juxta Malachiam:

Malac. 2. *Labia Sacerdotis exquirunt scientiam, quasi Angelus Domini exercituum, O.* In antiqua lege singularis erat curatio leprosorum, quos Deus curabat, non legitur alios nisi leprosos ad Sacerdotes misisse; iste separabat eos, extra castra mittebantur. Notabatur lepra vel in cute, vel si ex intra proveniret: aut in toto, vel ex parte? An in pillis, vel in vestibus? Examini subdebatur locus, habitatio, &c. Expectabatur tempus, & omnia maxima cum cura stateræ subdebantur, donec certa, & secura salus à Sacerdote proferretur. Sacerdotes, inquit, *peccata populi mei comedent,* sed non vorent sine ruminacione; *comede volumen,* sed sit in ore mel, & venter tuus amaretur; dolebat quidam vel errores, ignorantiasque ministrorum, vel dura corda, & recidivas, vel obliviones longas peccantium, quis tot mala numeret? Quot sunt accedentes? In sacro Concilio Ephesino dolebant Patres, nè Sacerdotes credant, & falsis pœ-

Osee 4. 8. *medent,* sed non vorent sine ruminacione; *comede volumen,* sed sit in ore mel, & venter tuus amaretur; dolebat quidam vel errores, ignorantiasque ministrorum, vel dura corda, & recidivas, vel obliviones longas peccantium, quis tot mala numeret? Quot sunt accedentes? In sacro Concilio Ephesino dolebant Patres, nè Sacerdotes credant, & falsis pœ-

nitentiis seducantur. Apud S. Teresiam à Jesu , frequentissimè apud SS. Patres , & experientiam , pluri ex prava receptione Sacramentorum damnantur: utinam non sic tam frequenter sufficienter experirem ! Venatores frequentissimè laqueos expandunt, & abscondunt, ubi aves ad aquandum accedunt: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, O dicetis in illa die: Confitemini Domino, O invocate nomen ejus;* sed quot laquei forte dum judicantur hautiri ex fontibus inescantur: unde tot anni sine emenda ? Continua cum recidiva , tot occasiones , & ut exprimam , quoniam idem manens idem , semper facit idem : est vel culpa in pœnitente , vel in Confessario , vel in utroque : hujus munera Medici , Judicis , & Magistri , sat mihi à vobis dicere , quam vos docere. Sed credo lacrymis dolendum quod his in rebus experimur , nescio cujus sit culpa major : *Mittam eis venatores, O venabuntur eos, faciam vos fieri piscatores hominum.* Prædicatores comparantur venatoribus cum sclopis , strepitu , & minis è suggestu ; Confessarii verò piscatoribus , præcipue in atundine piscantibus: sedent quieti curantes nè turbetur aqua , & fugiant pisces ; hos sigillatim unumquemque piscantur , inescantur hamo , extrahuntur ab aqua ; *Patientia vobis necessaria est;* alias refert , nec accusat proprias culpas , sed alienas , suas excusando; alias quasi in cumulo , nec appetit qualiter vel conscientiam discusserit , vel de sua doleat ; accedunt alii halitu , & conscientia fœtentis ut Confessarii nauseat stomachus. O quot velut feræ , ac cete grandia cum omnibus Sacramentis , utinam non in infernum detrudentur ! Hoc Sacramentum secunda post naufragium tabula. Peccavimus , fratres , aut pœnitendum , aut ardendum , ajebat S. Thomas à Villanova. Immensa Dei pietas , & amor , qui benè omnia facit , qui initio mundi ad singula protulit , & vidit quod esset bonum ; sicut & ad omnia simul quod essent valde bona. Inter beneficia Ecclesiæ exhibita , nobisque

Jerem.

16.16.

Matth.

4.20.

Ad Hebreos 10.

tamquam dilectissimis filiis de remediis providendo  
languores ex nostra fragilitate , aut malitia quam fre-  
quentes : neque enim est homo qui non peccet : ne-  
mo mundus à sorde , nec infans cuius est unius  
diei vita super terram . Quis gloriari poterit se mun-  
dum habere cor ? Columnæ Cœli contremiscunt , &  
pavent ; si dixerimus quod peccatum non habemus  
mentimur , & veritatem non facimus . Si manum ad  
sinum velut Moyses apponamus , abdubio lepro-  
sam extrahemus . Beatus vir qui non est stimulatus  
in conscientia delicti sui , nec habuit animi sui tris-  
titiam : verè dicamus quis est hic , & laudabimus  
eum ; fecit enim mirabilia in vita sua : providit er-  
go Christus fontem in ablutionem peccatoris , & mens-  
truatæ : si peccata vestra fuerint ut coccinum , qua-  
si lana alba erunt , & quasi vermiculus ex quo pur-  
puta tingitur , quasi nix dealbabuntur : hominibus  
infirmis , expertis , & fragilibus , hujusmodi claves  
traduntur , nè vel ipsi expavescant propria edocti  
experientia , vel nè peccatores terreatur dum ad  
similes sibi recurrent ; nullum est irremissibile pec-  
catum in hac vita , nec Deus sibi reservavit ali-  
quod , tamquam ipse solus , si resipiscat peccator ,  
remittere velit . Numerus , multitudo , aut qualitas pec-  
catorum non coarctatur , non dico tibi usque septies ,  
sed usque septuagies septies , cum numerus septises  
pro infinitate ponatur . Nihil inultum remanebit , sed  
si nosmetipos judicamus , non utique judicabimur ;

*1. Co-  
rinth. 11.* secundò id ipsum non repetit : *Si nosmetipos judi-  
caremus , non utique judicaremur.* Restituam vobis an-  
nos pristinos , imo cum incremento virtutum , atque  
donorum , vegetiores , & valentiores ex augmento  
gratiæ Sacramenti . Vult Deus , & invitat ut frequen-  
ter accedamus : O qui dormis in peccato ! Nescis  
quia Dœmonem habes ad latus ? O non dormiens , sed  
mortuus ! sic dormis , sic comedis , sic lætus , ac ve-  
lut si infernus , & mors fabula vana forent : si fures  
introissent ad te , quomodo conticuisses ? Si vene-  
num

num ebibisses, si arderent tectum, & domus, quomo-  
do non clamares? O pessimum signum reprobatio-  
nis! Peccare, & non dolere, manere per annos in  
peccato, & non sentire. Satius erit mihi, frater, ut  
ad cor reddeas, ingredere intra te: *Sordes ejus in pe-*  
*dibus ejus, nec recordata est finis sui.* Desolatione de-  
solata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet  
corde. De meditatione, & contemplatione jam innui  
me toto corde declamaturum, desiderio desideravi,  
sed qualis occursus rerum me confundit? Videns, &  
dolens inter tot, tantaque mala, cogitabam quale re-  
medium, & unicum pro omnibus malis inveni, ora-  
tionem scilicet, & considerationem; & si huc per-  
duxit oratio non prætteream: incipio jam. *Quis non*  
*doleat, quoniam si de consideratione cœpero loqui,*  
*dicatur mihi: Loquere nobis linguam nostram: lin-*  
*guam, quam non novimus audivimus; ista sunt vel*  
*pro Fratribus in claustris, vel pro Anachoritis in de-*  
*sertis. O verbum, cui minimum est plenum esse ig-*  
*norantiae, nè dicam ferè Atheistmi! Oratio pro consi-*  
*deratione, pro petitione, pro gratiarum actione, quæ*  
*vita est animæ, quæ cibus est animæ, quæ anima est*  
*animæ, de qua ajebat Dominus Jesus: Oportet sem-*  
*per orare, & non deficere; & Apostolus: Sine in-*  
*termissione orate; & rursus: In omni loco, per singu-*  
*la momenta; & uno verbo: Si omnis spiritus, imo*  
*& omnis spiratio à Deo est: ergo omnis Deo red-*  
*denda est; & fures sumus, si unam tantum Deo, à*  
*quo est, non restituimus: in omni loco, ab omni sta-*  
*tu, singulisque personis persolvenda est Deo. Judi-*  
*cas solitudinem necessarium? intra in cubiculum cor-*  
*dis tui, clande ostium timoris, & amoris; & clauso*  
*ostio orabis Patrem tuum, & qui videt in absconde-*  
*to, reddet tibi. Urgent solicitudines rerum tem-*  
*poralium? Scio quia unum est necessarium, & nè*  
*cuncteris: omne quod facis in verbo, aut in opere,*  
*omnia in nomine Domini Jesu facies. In principio à*  
*Deo pete, in progressu renova memoriam, in fine*

Thren. r.

v. 9.

Lucæ 18.

v. 1.

1. Ad

Theffal.

5. v. 17.

redder gratias. In mane ignem accende, in meridie ignem fove, in nocte flammarum accende. Quisquis iter agit, non ad singulos passus de termino cogitat, sed vadens accedit ad terminum; vel explicitè invocatur Deus, dum implicitè prior perseverat vocatio: *vespere*, mane, & meridie narrabo opera tua: vespere mortuus est Christus, pendens in cruce emisit spiritum, in sepulchro fuit depositus; mane resurrexit; meridie ascendit in Cœlum; non tibi hæc lig-

Levit. 6. na sufficiunt ut ardeat cor? *Ignis in altari meo semper ardebit*, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies: in mane offerebatur Agnus, & erat sacrificium matutinum: ad vesperam hora erat incensi cum cæremoniis ibi præceptis: ergo in portatili altari cordis concrema ligna; tot beneficia, tot supplicia, tot considerationes vitæ, passionis, & mortis Christi, novissimorum mortis, judicii, inferni, & gloriæ, peccatorum, æternitatis, brevitatis & misericordiam vitæ, quæ contrectas manibus, quæ lingua loqueris, quæ cogitatione pensas, non sufficiunt ligna ut omni loco ardeant? Omnia sunt à Deo ut à principio, & fine; quid ergo agis? Quid loqueris? Quid cogitabis in quo non invenias Deum? Vide præsentiam suam in omnibus, immensitatem in omni loco; æternitatem, providentiam, cæteraque attributa; quidquid agas, propter Deum agas; à Deo incipias, & per Deum cœpta in ipso finiantur. Vide modò si dicas: Linguam quam non novimus, audivimus. O stoliditas, & hebetudo filiorum Adam! Et fortè nos Sacerdotes, & ministri Domini, qui tenemus locum sanctitatis, & tantum implicamur actibus sæcularibus. Nihil frequentius apud Scripturam, & Patres, quām necessitas orationis. Libri multiplicantur, motiva, & argumenta, & manifestantur, & convincunt: qualis excusatio? Totus mundus liber est, singulæ creaturæ paginæ singulæ, linguae vocantes potentiam, sapientiam, & Dei bonitatem. Egressus fuerat Isaac ad vesperam ad meditandum solus

lus in agro. Camporum amoenitas, coelorum pulchritudo, & quid non ad Deum dirigit? Sed haec ad meditandum pertinent; sarta sit tecta contemplatio, quæ fides in Deo solo sistit; ibi quiescit mens, ibi docetur, ibi gustat, ibi inebriatur, fide sustentatur donec fidei succedat visio: modò omnium terrenarum strepitū silente curarum in aula mentis vacare cælestibus ut in meditationibus sanctis, & in deliciis læteris æternis. Sed si jam modò huc pervenit oratio, à parvo ad majora surgamus. Quis cum oratione peribit? Quis sine oratione salvabitur? Non dico de sola solitudine, quamvis si gustas, & vides, quoniam suavis est Dominus, quis inde te avellet? Quam dulce peccata deflere! Cætera mente evolve, vide Christum in oratione pernoctantem, in horto in agonia positum; & licet quidem in omni loco, in omni tempore, in omni eventu, in Dei præsentia omnia semper inspicias, absdubio reddes, peccator, ad cor, firma cor in Deo, istud erit Altare, sed vide quia, ut ait S. Vincentius Ferrarius, in altari portatili non sit dedicatio; solitudinem quætes, strepitum sæculi naufragiabundus horrebis; ducet te Deus in solitudinem, & tibi loquetur ad cor, ibi te lactabit; tempore quieto, atque opportuno præpara te ad orationem, & noli esse quasi qui tentat Deum, invoca S. Spiritum, procede ad considerationem, finem impones cum gratiarum actione, petitione, obsecratione, humiliatione, &c. Et ad singulos dies horam opportunam habebis pro oratione destinatam, & locum. Elige ductorem cuius consilio, & obedientia in omni stes: sit tibi, si fieri posset, unus ex mille, quoniam si omnis ars magistrum petit, quidnam erit, & ars diligendi, & se dirigendi in Deum, & ea quæ principalior est pars abnegandi propriam voluntatem, eamque in Deum, & eum qui ejus loco est transferendi: tota vita haec ars addicenda est, nè judices in hoc mundo te ad finem perventurum; nè causaris, vel diffidas ob difficultates, quas à natura, vel

ab ipsis rebus, à magnitudine earum, vel etiam à spiritibus malis frequentissimè occurrent: plus in omnibus prævalebit Deus, perseverantia est necessaria; non coronabitur nisi qui legitimè certaverit. Et si pro re fragili tantum insudatur, nec cessat homo ad tot difficultates, quid non fiat pro æterna Gloria?

## DECLAMATIO XVI.

### LAPSI MORIBUNDI AD POENITENTIAM.

*Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Psal. 114.v.3.*

Job cap.  
4. v. 13.



Cap. 40.  
vers. 10.

*N* borrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia offa mea perterrita sunt :: inhorruerunt pilii carnis meæ. Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis. O somnium proficuum, licet terrificum! Prosequitur ipse Job: *Ecce Bebemoth quem feci tecum, fœnum quasi Bos comedet. Omnis caro fœnum: ergo omnis caro à Behemoth, scilicet morte, vel à Diabolo ferè omnis, vel saltem quanta pars animatum deglutitur!* Cogita temetipsum, vel in lecto projectum, vel repentina morte luctantem, vel languore prolixo viribus omnino destitutum. Tres Exercitus irruunt in moribundum, memoria conscientiæ præteriorum, præsentium dolorum, & infirmitatum, cum quasi brevi mappa plures erunt dolores quam membra, & timor judicii futuri, terror Judicis Dei irati, pavor æternitatis sine fine. Nolim hæc mendacii statera rerum temporalium appendi: cogita quoniam supra tempus est æternitas, in hac non est prius,

&

& posterius, tota simul, quantum plus excedit ordo rerum spiritualium ad temporalem ordinem, ad cuncta sublunaria, quæ videmus: *furauit* per viventem in sœcula sœculorum, quia tempus non erit *amplius*: jam non poteris amplius villicare; inducias vel usque mane clamabat Christorius ultimos halitus à Dracone dum jam devorabatur. Aut mors est subitanea, & improvisa, aut languore plus, vel minus prolixas; vel est bona, vel est mala; nota expositiones nominis *Mors*, Medicina Oculorum, Remedium Spectantibus. Malum, Obscurum, Repugnans, Subito. In diluvio, in incendio Sodomitico, quot subito perierunt! Singula quæras. Balthasar in convivio, *Mane*, Dan. 5.  
*Thesel Phares*, annumeravit, appendit, divisit: eadem nocte interfectus est Balthasar, & succedit Darius Medus. Sed quid præterita quæto, cum quotidie tot exempla videamus? Vide mortem Lazari, & Divitis Epulonis: ego in consuetudine habui annumerare, scribere mortes Parentum, cognatorum, & amicorum, & adnotare præcipue subitaneas, & improvisas, credo quod istæ tertiam partem excedant, aliæ ad multa centenaria cumulantur, imò vel ad minus tertiam generationem, quos omnes agnovi, & alloquutus fui: *Memento Creatoris tui antequam veniat tempus afflictionis tuae, & appropinquent anni de quibus dicas, non mibi placent.* Deficiet lumen oculorum, elevabitur quasi mare in fluctibus pectus, riget totus homo, nutabunt fortissimi viri, columnæ Cœli contremiscunt, & pavent, quin & ipse Christus coepit pavere, & tædere, donec revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus reddeat ad Deum, qui dedit illum. O bone Jesus! In cruce pendens septem verba protulisti tamquam lignum illud, ajebat Augustinus, ubi erant fixa membra mortientis, etiam Cathedra fuerit Magistri docentis: *Pater ignosce illis*, ut omnes injurias ex toto corde dimittamus: *Ecce Mater tua, ecce filius tuus*, ut ad B. Mariam Virginem repetamus: Tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe. Dicamus cum La-

Ecclesiastes 12.  
v. 1.

Ecclesiastes c.  
12.v.7.

Lucas 23.  
34.  
Joan. 17.  
27.

tro-

- Luce 23. trone: *Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: memento mei Domine dum veneris in regnum tuum. Sitio*, vel ad patientiam in doloribus, vel ad majorem flammatum charitatis excitandam, vel ut tua sitis, tuique labores mihi proficiant. Ex amore, cum summaque in Dei voluntate resignatione: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Consummatum est, quoniam jam tunc, & voluptates, & labores mundi consummati erunt; beatitudinis autem, & gloriae voluptas, sine fine initium habebit; & tandem: In manus tuas commendō spiritum meum. Quibus verbis tot Sancti suos spiritus emiserunt. Unum tibi, lapse moribunde, vel ut melius dicam, per totam vitam, per singulos dies, & horas non excidant à cogitatione tua. Satis haberem, si hoc consilium tibi, omnibusque ingererem.* *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recognitet corde. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui. Cogita, cogita: Oratio mentalis, quæ est ad Deum ascensus, spiritualis vitae est alimentum. Homo absque oratione miles sine armis, cum illa nemo credo peribit; sine illa quis salvus erit? Sed de hac materia rursus diffusior in his Declamationibus erit sermo. Dum Christus mortuus est, obscuratus est Sol, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, multa corpora Sanctorum surrexerunt, velum Templi scissum est: Centurio, & qui cum eo erant videntes signa quæ fiebant, revertebantur percutientes pectora sua, & dicentes: *Verè filius Dei erat iste.* Hæc singula ad mores converte, his ad mortem te præpara, & in morte hæc exercere.*
- Matt. 27. 54. *Sed procedamus ad malam mortem: Attende Job cap. 40. & 41. adhærent Dœmones, ut jam dixi, quasi apes, & quasi exercitus, quasi ignis exardescens in spinis: sed quis aspectus Dœmonum! Semel in visione apparuit Sanctæ Catharinae Senensi, Sanctæ Gertrudi, & aliis, dicebantque potius electuras omnia tormenta mundi, quam solo in ictu oculi ipsum iterum*


rum videre, nē quæso iterūm atque iterūm prædicata Job capita perlegere omittas: *Habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*; discelsit post tentationem ejus Dœmon à Christo usque ad tempus, mortis scilicet, qui adfuit in Calvario, si forte locum tentandi haberet. *Væ terræ, O mari!* quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Exercitus cui ad parum tempus licentia permittitur devastandi, & spoliandi, ac citò prædandi, quoniam tempus breve est, nihil de eo desperit, sed urget, & citò prædatur. *Tenent tympanum, O cytharam, O gaudent ad sonitum organi.* *Ducunt in bonis dies suos, O in puncto ad inferna descendunt.* O quantis hæc acciderunt! Sed & quotidiè. O si non acciderent! Loquemur postea audientes ululatus illos maledictionis, blasphemias in Deum, Sanctos, & Angelos. Nunc vide quia hæc omnia per singula instantia accidere valent. O bone Jesu! Quot annos me sustinuisti: quare statim cùm peccavimus, in infernum non detrusi sumus: Misericordiæ Domini, inquit Augustinus P. quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Consurge in nocte, in principio vigiliarum effunde cor tuum in conspectu Domini. *Numquid in æternum projicit Deus?* Aut concinebit in ira misericordias suas? Quoniam in his omnibus adhuc manus ejus extenta, & non est aversus furor ejus. O insensati filii Adæ! O genus Adam! Quis vos fascinavit, non obedire veritati ante quorum oculos Deus crucifixus est? O hebetudo! O stoliditas! O insensati!

Job 40.  
18.

Apoca-  
lyp. 12.  
12.

Job 21.  
v. 12. &  
13.

Psal. 76.  
8.



## DECLAMATIO XVII.

INFIRMI IN AGONIA PRO SANCTO  
Sacramento Extremæ Unctionis.

*Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me :::  
& ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius. Zach. 4.*



LTISSIMA Dei Providentia, & fundavit, & regit Ecclesiam, instituitque septem Sacra menta, respectivè ad suos effectus, vel in candelabro aureo, septemque lucernis, vel in sapientiæ Domino septem columnis suffulta. Extremæ

Uncioni totum oleum misericordiæ ad ungendum quinque sensus, ad leniendos dolores, ad ungendos athletas in extremo mortis conflictu: ergo languente ad extrema perducto providit cœlestis ille Samaritanus pro ipso jam in agone posito Oleum Sanctum ad alliganda vulnera ejus. O sensus! Quot latrones ascenderunt per fenestras vestras! *Infirmatur ergo quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo. Quod pascit, fovet, & nutrit; lux, medicina, cibus, oleum ad sanandum si expedit: Trabe nos post te, in odorem currimus unguentorum tuorum; oleum effusum nomen tuum.*

Jacobi epistola C. 5. V. 14. Cant. 1. Horrebis nè, vel horrebunt amici, & cognati, imprudens habebitur qui denuntiat? Loquamur de placentibus, adhuc procrastinandum. O Bone Deus! ò tempora! ò mores! Hoc inter Christianos, imo & inter illos qui specialem perfectionem profiteri debent: quoties hæc dolui! Ut infirmus cogitans de salute, dum ei omnino cogitatio de his quæ expediunt deletur; sic ad Dei Tribunal sistitur: ergo in extremis jam homine constituto, incipit Ecclesia in-

to-

tonare in auribus infirmi *Kyrie eleison*; quid est hoc?  
 & quoniam necessitas gravior esse non potest, agi-  
 tur namque de instanti ultimo, à quo pendet æter-  
 nitas, quæ nunquam est immutanda, donec Deus  
 vivat; invocat, & clamat ad suffragia Sanctorum,  
 ut omnes auxilium ferant in tempore opportuno.

En Ecclesia ut Mater videns filium in tanto peri-  
 culo: En Jonam in mari projectum in ventrem Ceti  
 transglutiendum. *Preparavit Dominus pisces grandem,*  
*ut deglutiret Jonam:* *En intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Ascendunt fluctus usque ad Coelos; des-  
 cendant usque ad abyssos. O quam tabescit in malis  
 anima! Memoria præteriorum, remorsus conscientiæ,  
 dolores corporis, & Inferni æternitatis horror, bestia-  
 rum, seu dœmonum horrifera phantasmatæ. Urgebant  
 Ægyptii horâ noctis mediæ filios Israel exire de ter-  
 ra sua: *Accelera citò prædare velociter, spolia detrahe:* Juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia  
 tempus non erit amplius. De Esau reproborum du-  
 ce dicitur ad Hebreos 12. v. 17. *Non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*  
 Et de Antiocho: *Orabat autem hic scelestus Dominum* 2. Mach.  
*à quo non esset misericordiam consecuturus;* quia nimi-  
 rūm uterque non rectè quæsivit; *sicut exultant victori-  
 res capta præda,* quando dividunt spolia, quid timida  
 ovicula canum latratibus, venatorum vocibus,  
 laqueoque capta, fustibus contrita. O peccator! qui  
 ad poenitentiæ lamentum fugere non valebis subitò  
 præoccupatus die mortis. O quanta mortis occupatio!  
 A timore inimici eripe animam meam, quid à potes-  
 tate, ajebat Augustinus. Ergò crede mihi tempore  
 opportuno, præpara animam tuam, ad singulas horas  
 resonet in auribus tuis tuba illa, de qua ajebat Hie-  
 ronymus: *Sive comedam, sive bibam, insonat in au-  
 ribus meis: Surgite mortui, & venite ad judicium.*  
 Qualis fuit vita Sanctorum! Exemplar illud Archiman-  
 drita Antonius, sic dicebat: *Hodie cœpi Deo vivere,*

bodie finiam ; & moriar : bodie cœpi , quia usque  
 nunc nihil boni feci : bodie finiam , & moriar , quia non  
 est ultra tempus. En breve thema , sed magnum pe-  
 lagus , si nihil usque nunc boni fecisti ; si modò tibi  
 exeundum , in momento hoc dicas in corde Deo : Ex  
 nunc vellem tibi offerre in hoc instanti quidquid boni  
 omnes fecerunt , à primo qui in mundo natus est ad  
 ultimum , & ultimò moriturum. Qui peccat in uno,  
 factus est omnium reus , quia offendit Deum in quo  
 omnia peccata conveniunt : qui ergo te diligit , Do-  
 mine , Deum unum , & solum , quia in te omnia , om-  
 nia comprehendit amor , omnium amore te ego solus  
 diligere vellem , & qui fuerunt , & qui sunt , & qui  
 erunt. Monstrum crudelitatis Cajus Caligula , de quo  
 refertur horrendum dictum : *Vellem cunctum popu-  
 lum Romanum ad unum jugulum reduci , & uno iecu  
 omnium capita truncarem.* O iterum immane mons-  
 truum ! sed consecremus , emendemusque malitiam in-  
 finitam , dicamusque Deo : Vellem voluntates omnium ,  
 & qui fuerunt , sunt , & erunt ad unam redigere , ad  
 unum cor , ad unum amorem , & in hoc ultimo instan-  
 ti hoc tibi offerre ex toto corde , ex tota mente , ex  
 tota anima , & in omnibus viribus meis. Ergò mihi  
 amicissime siste gradum , repeate preces illas , quas  
 Mater Ecclesia solicita pro filii salute in urgentiori  
 horâ præparat ad agoniam mortis ; dum in pace , &  
 salute vivis , meditare , ac in quiete repeate , & consi-  
 dera nunc pro tunc , ut si tunc fortè non potueris.  
 Jam Oleo unguntur sensus tui : o oculi , o aures , o  
 manus , quot delicta perpetrasti ! In hoc Sacramen-  
 to sicut & in aliis merita Christi sunt deposita , reli-  
 quiæ sunt Sacra menta Passionis Christi , atque ex ope-  
 re operato virtutem continent ejus. Per istam ergò  
 sanctam Unctionem indulgeat tibi Deus quidquid pec-  
 casti per visum , &c. Qui ergò dissolutus vel visu , vel  
 linguâ , per singula ferè momenta deliquit , o quām  
 vellet à se ipso effugere ! M. P. Augustinus in hora obi-  
 tūs sui legebat Psalmos David , qui sunt ad Poeniten-  
 tiā.

tiam. Vide pretiosam mortem in cōspectu Domini,  
sed time pessimam peccatorum mortem. Cygnus can-  
tat moriendo, & cantando moritur, quia vivendo si-  
let; Sireñ immane monstrum partim ex muliere pulchra,  
partim ex draconis caudâ immanni, ululando moritur,  
& moriendo ululat, quia vivendo cantat, & incan-  
tando vivit. Cygnus sanguinem purum habet, qui in  
hora mortis ad cor accurrens, cùm sit cor ultimum vi-  
vens, ad illud accurrit, illud dilatat, & exultare facit,  
& ita moriendo cantat, & cantando moritur, quia si-  
lendo vixit. Siren sanguinem corruptum habet, ad  
cor accedit in morte, eò ululando moritur, quia can-  
tando vixit. O verba illorum Psalmorum, qui sunt  
ad poenitentiam, quorum tot sunt mysteria, quot ver-  
ba! Si spiritus aliquandò quasi humanus à fervore  
decidat, repeate illa verba: *Erunt sagittæ acute in  
manu potentis, jacula accensa, ac penetrantia cor, do-  
nec in Domino exultet spiritus, O in labiis tuis difusa  
sit gratia.* Audivi dicentem in agonia: *Nunc in luc-  
tam ingredimur.* Accensa est lux ad æternitatem. O  
quantum manifestat illa lux! Quales tenebras expel-  
lit palpabiles dum vivimus. Tunc videbunt additis  
cortina reclusis. Insonat flebilis vox uxoris, ac filio-  
rum, præparatur vestis sepulchralis, invoca Deum cor-  
de, dicitur, si ore non potes. Angeli boni, vel ma-  
li expectant cujus erit præda. Dominus Iesus Christus,  
dicitur, apud te sit, ut te deducat, post te sit, ut  
te protegat, supra te sit, ut te obumbret. S. Hila-  
tion Abbas 70. annis Deo vixerat in arctiori poeniten-  
tia in hora mortis tremebat, dicebatque sibi: *Egre-  
dere anima mea, egredere, 70. annis Deo servisti, O  
times.* Vide Isacum super struem lignorum immo-  
landum ignem ad victimam comburendam, oculis erat  
velatus, manibus, & pedibus constrictus, patris fer-  
rum evaginatum ad feriendum: Ubi fugeret? Famu-  
li in plano montis remanserant, nec erat qui adju-  
varet. Mitte, Domine, Angelum tuum de Cœlis,  
ut dicat: *Nè ferias, contine manum tuam. Subveni-*

*te, Sancti Dei; occurrite Angeli Domini; suscipe animam meam, offer illam in conspectu Dei.*

## DECLAMATIO XVIII.

### ABSQUE FRUCTU IN INFERO LAPSI ad pœnitentiam.

*Descendant in Infernum viventes. Num. 16. v. 30.*



B. Alan.  
de Rupe.

*E* scilicet descendant morientes, ajebat D. Bernardus. Apprehendam vobis manum, Charissimi, & mecum descendamus ad orcum. S. P. Dominicus, Ordinis Prædicatorum Fundator, prædicabat devotionem Rosarii; apparuit in nube B. M. Virgo, deditque illi thema, ordinemque sermonis, magnanimitè tonitrua, & grandinem, ut cuncti ad terrorem commoverentur. Septem, inquit, sunt in Inferno divisiones, horridaque ergastula, juxta septem vitia capitalia. In singulis singuli dœmones præsunt, in superbia Lucifer, in luxuria Asmodeus, & similitè de aliis; ibi dœmones, & homines commixti, quorum mentio habetur Ezech. 32. Ibì Assur, & omnis multitudo ejus: in circuitu illius sepulchra ejus: in novissimis lacis: qui dederant quamdam formidinem in terra viventium. Ibì Ælam, ibì Mosoch, & Thubal (primus nostræ Hispaniæ Fundator) qui descendederunt ad Infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis. Numera modos, si potes, vel multitudinem damnatorum, singulas vel eorum poenas, gravitatem, æternitatem, quæ si tantum ad puncturam acus reducerentur, intolerabilia essent. Procedamus à majori poena damni, quæ est carentia divinæ visionis: Quid est Deus? Interrogatio hæc facta est cuidam ex Philosophis antiquis, respon-

pondit , sibi necessarium esse tempus ad prædictam responsionem. Transierunt dies , & cùm ruritus interrogaretur , respondit : Quantum plus cogitaret , minus se expedire , quin potius plus se irretiret. Secundò , & tertio id ipsum accidit , & sic numquam respondit. Nos autem fide oculos illuminatos habentes , ordinem naturæ , gratiæ , gloriæ , & hypostaticam attendentes , quorum Deus omnium principium , & finis , Alpha , & Omega , quid dicemus ? A mari exeunt flumina , ut iterum fluant , ad locum , undè exeunt , revertuntur. Vide ergo à primo Angelo adusq[ue] infimam formicam , minimumque foliolum arboris , *in ipso omnia vivunt* , moventur , & sunt ; omnibus , seu commune esse cum lapidibus , seu vivere cum arboribus , seu sentire cum animantibus , seu intelligere cum Angelis , omnia per ipsum facta sunt. Ambulans juxta oram maris ille alius Philosophus , cogitabat prodigium magnum , quod omnia flumina intrant in mare , & mare non redundat , cùmque causam percipere non valeret , desperans , atque confusus , se projecit in mare , dicens : *O ænigma , atque portentum ! Quia te capere non possum , tu me recipe.* Quod in hoc fuit desperatio confusa , erit in nobis devotissima pietas , sive in Cœlis , sicut spongia parva in illo mari gloriantes , seu quod Deus avertat , in profundo Inferni per æterna sæcula desperantes. Nunc tu , ô Christiane , quia non sentis , non doles : *Da amantem , ajebat fornax ille amoris M. P. Augustinus , O sentit , quid dico ! Addantur tormenta tormentis , ajebat illud Anchoritarum , & Poenitentium Prodigium S. Bruno , ignes ignibus , flagella flagellis ; tantum Deo non privemur : an tām parum tibi videtur per totam æternitatem , à primo principio , & ultimo fine excidisse ? Hunc etiam insensibilia saxa , & parietes ex sua natura requirunt ; vide Cœlos , elementa , maria , flumina , bestias , pisces , homines , & Angelos , quasi à Deo habentes esse vitam , & motum , voluntatem ejus in singulis facere , quantum violentiam per totam æterni-*

nitatem ad centrum inclinare, & violenter nunquam pervenire: *Ad te nos, Domine, fecisti, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te,* ajebat M. P. Augustinus; & iterum: *Domine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.* Major poena, privatio

*Luc. 18. majoris boni: Nemo bonus nisi solus Deus;* privatio ergo Dei major poena, quia carentia majoris, & omnis boni; finem loquendi faciamus: *Te decet hymnus Deus*

*v. 20. Psal. 64. in Sion; vel ut alia littera habet: Tibi silentium Deus in Sion.* Altum est Cœlum, profunda terræ abyssus, procide ut vultus hæreat terræ: Moyses respiciens rubum, non audebat respicere contra illum, Tobis, & Tobias, pater scilicet, & filius agnoscente se Angelum habuisse mercenarium, prostrati per horas tres, benedixerunt Deum; inde surgentes narraverunt omnia mirabilia ejus. Si ad alia prosequeris, agnosce præsentia, & intuitu B. V. Mariæ, te fuisse privandum societate omnium Angelorum, & Beatorum in perpetuas æternitates eris exul; procedamus modò ad alia.

*Isaix 33. v. 14. Ignis generalior poena: Quis ex vobis habitare pos- terit cum igne devorante, & cum ardoribus sempiter- nis?* De igne descendente in Pentapolim scribit sa-

*Sap. 17. cer Textus, de impiis compeditis vinculis tenebrarum, vel in horribilibus tenebris Ægypti:: Paventes horren- dè, & cum admiratione nimia perturbati :: Tristes illis apparentes pavorem illis præstabant. Et ignis quidem nulla vis poterat illis præbere lumen: intercedit namque vox Domini flamمام ignis intercidens in Inferno, ut ardeat, ut urat, non ut illuminet, nisi ad videnda horrenda: in Empyreo, quod à Pyr, & ignis nominatur, ex adverso, ut illuminet, non ut comburat. Ideò personæ tristes illis apparebant, pavorem nimium præstantes, & timore percusi facierum, quæ videbantur quasi Magorum præstigia videntes, ac cogitantes, plura illis ex monstris perturbabant, & qui aliquomodo suadebant, promittebantque læta, & foeli- cia durissimis flagellis cedebant; serpentum sibilatio-*

ne commoti, tremebundi sine fine pereunt ; mortem vocant, & ipsa fugit ab eis; preoccupati peccatis vermium conscientiae morsibus ; testimonium dantes condemnationis, praesumentes saevam, iniquam, & damnatam conscientiam, ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Vide modò quinque stagna poenarum pro sensibus quinque, ad visum jam dictum est : *Vadent, & venient horribiles ; ad gustum, uva eorum uva fellis, & botri amarissimi; fel draconum vinum eorum.* Hæc est terra tenebrosa, mortis caligine operta : *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat ; nullus ordo naturæ, quia mors non consumit, ignis non lucet, cunctaque contra ordinem sine fine non finiunt, mors non consumit, vita, mors, reliquaque omnia tamputa sunt, ut nihil habeant de solatio, sed tantum quæ sunt de dolore ; solus adest divinæ justitiae ordo, pondus, & pondus; mensura contra mensuram ; ut quantum se in deliciis glorificarent, tantum pro mensurâ ipsis poena infligatur.* Commanducaverunt sibi carnes, dicebantque montibus, cadite super nos, & collibus, oportite nos. Execrations, & maledictiones in Deum, & in Sanctos, audebitis etiam in Mariam proferre ? Satius erat non natus fuisse, quam bonum illi esset, si natus non fuisse homo ille ! Et tu, amantissime Domine crucifixe, qui tulisti pro nobis maledictionem, factus pro nobis maledictio, ut in gentibus benedictio fieret, propter pretium infinitum tui Sanguinis, ne permittas in tuis filiis hæc mala. O pretium Sanguinis infiniti tui, in Sanguine Testamenti tui emite vincos tuos de lacu; exeamus à carcere hoc poenali, ut ad aerem, & stationem benigniorem procedamus, & unctionibus ad quinque sensus Deus nos non privet.

O si cogitationes hominum, & mortalium timidae, si per monstra, & somnia terret Deus; si cogitatio una insomnes reddit ! O damnatorum infelicissima cogitatio ! Servistis Diis alienis, modò isti non dabunt vobis requiem die, ac nocte.


Et

Deuter.  
32.

Job 10.

Habac. Et qualiter æternitatem omittimus? Ibit homo in  
 Cant. c. domum æternitatis sue; & rursus: Incurvati sunt col-  
 3. les mundi ab itineribus æternitatis ejus. O æternitatis  
 circulus donec fuerit duratio Dei! Designa, si vales,  
 in circulo, vel initium, sive finem. Juravi per viven-  
 tem in saecula saeculorum, quia tempus non erit am-  
 plius. Tempus & præsens, & præteritum, & futurum  
 habet, æternitas nunc tantum: cogita quantumvis  
 quod in primo instanti æternitatis ipsum sine inter-  
 missione, successione, aut variatione considera. O  
 instans immutabile! O momentum, à quo æternitas!  
 Si & singulas horas, menses, dies, & annos attendas,  
 si quoties horologium pulsat, advertas, omnes mo-  
 rimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non  
 revertuntur. Non revertetur flumen retrorsum, om-  
 nia intrant in mare, ibique & nomen eorum deper-  
 ditur, & ultra aquæ sine fine miscentur. Inferni  
 poenæ in duratione infinitæ, in extensione innumerabiles,  
 Matth. & intensione incomprehensibiles exprimuntur  
 22. in eo, qui ausus est intrare ad nuptias sine veste  
 nupciali, hoc est, sine charitate; ligatis manibus,  
 & pedibus omni impotentiâ ad bonum, ad re-  
 tractandum, ad poenitendum, ad operandum; ligati  
 manibus, quibus designatur operatio, in tenebras  
 exteriores, simul & interiores, intellectus, memorie,  
 & voluntatis, obscuratâ ratione, induratâ, & obsti-  
 natâ voluntate; memoria absque recordatione, aut si-  
 cum illa, de his tantum, quæ dolorem, desperatio-  
 nem, ad descerendum proficiunt; præteritorum, oc-  
 casionum scilicet deperditarum, quas alii obtinuerunt,  
 & à periculis liberati sunt, & modò gaudent in Cœ-  
 lo: præsentium, quæ nunquam finiuntur, nè mini-  
 mum erit, quo temperentur solatium; futurorum, to-  
 tius æternitatis. Fletus irremediabilis memorans con-  
 vivium, ad quod stetit, ad quod invitatus, memor  
 Sacramentorum, beneficiorum, Redemptionis San-  
 guinis Christi effusi; quæ omnia conculcavit, & des-  
 pexit. O quot sunt in uno facinore delicta! O se-  
 men

men parvum tot maledicta continens ! Ovum Basiliisci pulchrum , & variis coloribus depictum in cortice , sed intus omne malum latens. Et stridor dentium perpetuus , sine quiete , sine intermissione. Intellexistis hæc omnia ? Qui habet aures audiendi , audiat. Hæc anima tradita est tortoribus , dæmonibus videlicet , divinæ justitiæ ministris , odio habentibus , & Deum , & homines ; & in his tamquam in imagine Deum , si possibile foret , volentibus discerpere. Quæ cantilenæ ! Quod matutinum ! O potentia ! O sensus creati ad laudandum Deum ! De sociis , ac complicibus in peccatis , fasciculis zizaniorum , vel in morte uniuscujusque , vel in Judicio universalis , ligatis manibus , & pedibus in æternum chaos projiciendis. O infelices amores turpi ! O commixtiones infelicitissimæ , & turpissimæ ! Vel per exempla , vel per doctrinam , vel per societatem , sicut passionum socii in Christo ad gloriæ ; ita & peccatorum in dæmonibus , & hominibus ad poenam. Quantum sibi delectationis , sic & doloris. Sicut servierunt membra in justitiæ ad iniquitatem ; sicut & in Sanctis , qui exhibuerunt semetiplos Deo , & justitiæ ad veritatem. Attendite mensuram contra mensuram in simum vestrum , nec ad verba , sed ad considerationem intrantes in cor nostrum , illud adaperiat Deus in lege sua , & in præceptis suis faciat nos ambulare , & faciat pacem in diebus nostris , non æternam divisionem per peccatum ab ipso. Amen.



# DECLAMATIO XIX.

## DE INFOELICI, ET NEQUAM fallaci Mundo.

Ejus miseriæ referuntur; ad ejus contemp-  
tum excitamur.

*Mundus in maligno positus est: omne quod est in  
mundo concupiscentia carnis, concupiscentia ocu-  
lorum, superbia vitæ. 1. Joan. 2. 16. &c. 5. 19.*

1. Joan.

2.



2. Re-

gum 20.

2.

Thren. 4.

*ILIOLOI, nolite diligere mundum: tran-  
sit mundus, & concupiscentia ejus. In-  
ter inimicos animæ numeratur mun-  
dus, sed hoc speciale, inimicus insi-  
fidiator occultus, ex quo plus pericu-  
li in illo, quam in hoste manifes-  
to, nisi fallax & seductor esset, facile agnoscere-  
tur; sed adimpletur in illo: Væ qui dicitis bonum  
malum; & malum bonum; ponitis lucem in tene-  
bras, tenebras in lucem: amarum in dulce, dul-  
ce in amarum. Salutavit Joab Amasam dicens: Sal-  
ve mihi frater, osculans eum, amplectendoque eum  
percussit gladio, & effudit intestina ejus, nec appo-  
suit vulnus secundum, ipsum relinquendo involutum  
in sanguine. Jael ad Silaram obtulit lac in phiala  
Principum, ut biberet dum siti ardebat fugiens ex  
prælio: infudit somnium, assumpsit sinistra clavum,  
dextera malleum fabrorum, transfixit tempora ejus  
in terra; & ita sociavit mortem cum somno; si-  
cūt obsequium cum morte. Sed & Lamiæ nudave-  
runt mammam: lactaverunt catulos suos. De La-  
mia dicitur, quod lactando catulos, ita stringit qua-  
si diligeret, sed usque ad ossa constringit, & com-  
mi-*

minuit, ut societ mortem cum lacte. Est autem Lamia monstrum horriforum ex diversis compactum, cui adaptari potest illud Horatii: *Humano capiti cervicem pictor equinam jungere si velit, & varias inducere plumas :: Desinat in piscem, &c.* Quis non horrebit? Aspice mundi difformem figuram. O monde proditor, ajebat M.P. Augustinus, cuncta bona promittis, cuncta mala profers: promittis florem, sed citò evanescit. Sequere Deum anima saltem fatigata fallaciis: quid in ejus promissionibus adinvenisti? Quid in verbis promisit? Quid in executione invenisti? Concupiscentia carnis est in mundo: invenisti delectationem? Scito, & vide, quia malum, & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum. Noli attendere vino in vase invitante, & cum flavescit, quasi cum delectatione ebibas: *In fine mordebit ut coluber, & quasi regulus venena diffundet.* Concupiscentia oculorum, divitiae, superbia vitae, honores, scientia, reliqua sic in mundo trahentia, sed quid hæc sint? Te ipsum testem voco: Gigantes gemunt sub aquis, superbis Elephas mergitur; solus humilis Agnus sicco transit vestigio; nec vales de his quæ minima sunt exprimere, malens in silentio cogitare, quam rudi voce nihil exprimere: *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate; & non defecit de plateis ejus usura, & dolus.* Et iterum: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuisse utique; & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondisse me forsitan ab eo; tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul tecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu; veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes: homo pacis meæ ampliavit super me supplationem: Pater insurgit in filium, filius Patri maledicit; nurus in socrum, frater in*

Psalm.

54.

fratrem ; & inimici hominis dōmestici ejus ; ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi *claustra oris tui*. Nisi ob spem videndi Deum, ajebat Divus Bernardus , ferè infernus videretur mundus , adeoque intolerabilis , sicut ille. Hinc Discipulus damnatus apparens suo Magistro , percontatus ab illo , an in inferno quæstiones forent ? Respondit sic : Una quæstio : Quid non sit poena ? Et respondeatur pro parte negativa. In Palatiis Regum , & Potentum ante accessum ad intimum, donec introducantur ad Regem, adest aula anterior , ubi stant , & ambulant qui ad illum intrare festinant ; hæc uno gradu distat ab interiori cubiculo : uno tantum gradu, ut ita dicam ( ajebat in aliud Rex David ) ego , morsque dividimur ; en iste mundus nequam , & qui juxta illud vitam instituunt , dicere valent : Uno tantum gradu ego, infernusque dividimur. Isti sunt inferni candidati , vel melius inferi lapide nigro notati, donec in interiora trahantur. Infernus poenarum centrum , in quo omne malum , nullum bonum , vallis cadaverum , vallis Ennon , in qua inter saltus , cantusque nè perciperentur planctus idolo Moloch infantes igne cremabantur. Væ miseris ! Filios suos , & filias suas Dœmoniis offerebant ; sanguinem filiorum , aut filiarum deferebant scutilibus suis ; sanguinem quem quotidiè peccatores effundentes super terram sacrificant Dœmonum idolis. O mare ! O Ægyptus ! O poenalis carcer ! O spelunca latronum , draconum , strutionum , omniumque venenatorum , ubi toto cumulo malorum , tantum est apparentia bonorum ! gaudium breve, quasi hypocritæ ad instar puncti : hypocritæ quidem quasi repræsentator alterius personæ : præterit figura hujus mundi , reliquum est ut qui habent uxores , tamquam non habentes sint ; & qui flent , tamquam non flentes ; & qui emunt , tamquam non possidentes ; & qui utuntur , tamquam non utantur.

Ne-

Nemo sua sorte contentus; nulla domus sicut in  
 Ægypto sine mortuo, cui lacrymæ exolvendæ. Be-  
 nè primam vocem plotans emittit, qui nascitur,  
 edocente naturâ, quoniam in terram lacrymarum,  
 & dolorum ad vivendum in mundo evocatur: in  
 medio laqueorum ambulamus, & ita visus fuit à  
 Sancto Antonio Abate, conclamanteque illo: Quis  
 à tot laqueis liberare poterit? responsum est: Hu-  
 milis. Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sul-  
 phur, & spiritus procellarum. Dictum est Eremitæ Psal. 10.  
 oranti: Egressere foras, & studia hominum vide-  
 bis. Vedit quemdam struem lignorum congregantem,  
 quam cùm ferre non posset ob pondus, nova mul-  
 tiplicabat, & addebat ligna, quibus impotentior  
 fiebat ad portandum. Alius supra fornacem scin-  
 tillas evomentem, totas volebat assumere. Sicut  
 aliis volens vento pasci, inflatus rumpebatur, &  
 amplius majori cum labore volebat assumere: hæc  
 studia sunt hominum, vel quorum importabilia sunt  
 onera, vel curarum, sive peccatorum, dùm exo-  
 nerari debuerant, amplius, & amplius onerantur:  
 vel qui luxuriæ flammis, vel superbia, vel divi-  
 tiarum vento distenduntur, numquam dicunt sa-  
 tis. Aliorum erat visio, qui se vulnerabant, &  
 feriebantur cultris dicentes se optimos habere Me-  
 dicos: alii caudis equorum trahebantur inter du-  
 meta, & spinosa loca, quoniam inde quietem spe-  
 rabant. Hæc sunt hominum studia: Ephraim pascit  
 ventum; Chamæleon vermis levis alitur ventis, &  
 ad illos mutat colores: o pessimam voluptatem!  
 O execranda amentia! Ille potens Xerxes cum va-  
 lidissimo Exercitu à sublimiori loco illum prospic-  
 ciens, qui in brevi nullus remansurus esset, flevis-  
 se dicitur. Si è sublimi loco, vel levantes ocu-  
 los in cœlum, vel deponentes ad terram cum  
 Sancto Ignatio de Loyola diceremus: O quām  
 vilescit terra cùm Cœlum aspicio! Hoc mate mag-  
 num,

num, & spatio sum manibus ; illic reptilia quorum non est numerus ; majores pilces minores devorant ; nec deerunt alii majores, ut etiam hos majores deglutiunt. Nemo securus à socio, minus à se ipso, dicto unius ex septem Sapientibus fertur : *Quænam pernicies homini maxima ? Alter homo, vel ipse sibi.* Iterum : Si è sublimiori loco velut Xerxes adnotetur mundus, alii nascuntur, alii moriuntur ; alii ferro, alii strangulo, alii gladio, veneno alii, & quot genera vel mortis, vel morborum, alii rident, plorant multi ; alius seducit alium, iste ab alio seducitur. Mundus carcer, quotidiè multi educuntur quasi ad mortem damnati, nullus in brevi manebit. Sunt qui alterum judicent, cùm tamen in occulto, aut etiam in publico pejus quam judicant faciunt. In reos capitalis sententia, plusquam ipsis reis dignioribus refertur. Deus stetit in Synagoga Deorum ; in medio autem Deos dijudicat. Si ad Reges, & Dynastas levamus oculos, horrendum est illud : *Ad vos sunt, o Reges, hi sermones mei :: horrendè, O citò apparabit, quia durissimum judicium bis, qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur.* Ad vos sunt ergo, o Reges, sermones mei : *Erudimini qui judicatis terram ; terra terram ; homo hominem judicat ; sed Deus Judicem, & judicatum discutiet. Cæcitas, inconstantia, fallacia, brevitas, veluti ille equus pallidus, qui dicebatur mors, cui aliis, cui nomen infernus, ut in Apocalypsi habetur, & viam, & finem mundi prænuntiant. Inquam cæcitas, tot ad hanc vitam congregare, nihil de æterna cogitare, nè timueris cùm dives factus fuerit homo, & multiplicata fuerit substantia domus ejus : quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus ; quantorum in brevi mortes prospicimus ? Initium vitæ brevi*

Sapient.  
6.

Psal. 2.v.  
10.


*fi-*

fini conjungitur ; & fortè brevi curriculo tempori  
 ris jam thronos, dignitates, officia, jura, atque  
 honores ab aliis in alios per mortem videmus trans-  
 ferri, ut tempus non ad fruendum, sed ad dere-  
 linquendum videatur pertransiens. O vita mors ! O  
 vita somnium ! Qui in deliciis est vivens mortuus  
 est, & si in auro vivat, in lecto blandiori quies-  
 cat, curæ insomnem reddunt; suspirat in auro,  
 insomnis est in culcitra. Si dives est, curæ inse-  
 quuntur, si pauper necessitate premitur. Quantis  
 divitiæ post dolores vitæ, quoniam omnis poten-  
 tatus vita brevis ex curis, & doloribus, accelera-  
 tur mors, cùm multoties pauperes inter labores  
 fœliciori, ac longiori vita protrahantur. Si bonus  
 Deum præ oculis habens, vita vivit, invidiæ pa-  
 tet; malè viventium malitia torquetur, quamvis  
 Deo perfectè servientes melior sit vita adversis  
 tolerata, quàm fœlicitatibus plena. O mors, o vi-  
 ta, o adversitas, o prosperitas, o dolor, atque  
 timor ! Quisnam locus medius, vel à desiderio ha-  
 bendi, vel à timore perdendi securus ! Vel in cor-  
 pore, vel in anima (quod plus dolendum) quis  
 dolores, quis angores, quis singula mala per-  
 currat ? Quis dies, vel quæ hora sine dolore, vel  
 saltem sine timore pertranseat ? Si vigilas, adsunt  
 curæ; per somnia terribis me, ajebat Job; percurre  
 occupationes mortalium, variisque naturæ huma-  
 næ status, vide quid non sit labor, cuncta dolo-  
 re sunt plena. Adest vita brevis, misera, periculosa,  
 instabilis, laqueis plena, cæca, peccatis plena; melior  
 est mors, quàm vita amara. Quot dicere possunt,  
 ut tæderet nos etiam vivere, propter quod Job,  
 etsi in alio sensu protulerit cap.7. v. 15. *Suspen-*  
*diam elegit anima mea, O mortem offa mea,* &  
 quod quotidiè pertæsi vitæ sic faciant. Vide vani-  
 tatis scholam, errorum labyrinthum, dolorum scri-  
 nium; en homo verè naturæ ludibrium, quem ad

om.

omnia flagitia natum in opprobrium sui indignata natura projicit. Homo Microcosmos vanitatis, mundus parvus iniquitatis, omnis homo mendax, omnis homo defectuosus. Quod si ad mundum in communi nostra transferatur oratio, renova Noe diluvium in quo pauci, id est octo animæ per arcam salvæ factæ sunt: descendere inde in sacro textu ad diluvium sulphuris, & ignis in Pentapolim, de quibus textus: *Erat sicut Paradisus*, sed ardens sulphure, & igne facta est vallis cinerum; Palatia, arbores, fructus pulcherrimi, quasi visu, & aspectu pulchri, & ad vescendum suaves; cum tamen tangebantur in fumum, & cinerem disperabant. Scribebam hoc feria quarta Cinerum: quid totus mundus in fine appareat quantumvis vallis speciosus? Acervus cinerum: O mortalium curæ! O quantum est in rebus inane! Rogavit quidam quantum fumi esset in ligno? Respondit alter: Cum combuseris, expende cineres, reliquum in fumum disparuit. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt*, ajebat Job, *torquentes cor meum, noctem verterunt in diem, & rursus post tenebras spero lucem.* In fine mundi, juxta Apocalypsim Joannis, Babylon illa magna Civitas, cum qua fornicati sunt Reges terræ, ebria de sanguine Sanctorum, ornata Margaritis, sedens super bestiam habentem capita septem, & cornua septem, valido cum impetu quasi mola in profundum projecta est in infernum. Pictura Mundi juvenis pulcher: in capite mecum sapientia; in dextera mecum divitiae; in sinistra mecum honores, in pectore mecum fortitudo; in femore mecum deliciae; in pedibus respice finem.

Job 17.



DE

## DECLAMATIO XX.

## DE INFOELICI STRAGE LUXURIÆ.

*Ruben Primogenitus meus:: effusus est sicut  
aqua, non crescas, quia ascendisti cubile  
Patris tui, & maculasti stratum ejus.  
Gen. 49.*



RANDES materias (ajebat Maximus Hieronymus) ingenia parva non sustinent; tremit lingua, hæret animus, dumque quidquid dici potest, minus est, quam copia dicendi; obmutescit lingua, dum copia dicendorum est major; mutus est Tullius, semperque restat dicendum. Aperi ergo, Altissime, labia dicentis, rhetorices laxare habenas: & quibus incipiam Declamationem hanc? Dilata os tuum, dum minus semper erit quod dicas, majorque erit copia materiæ, & nihil quod dicatur, valeat adæquare dicenda. De strage immani, inquam, luxuriæ: quibus verbis incipiam? Propono thema: Ruben, Jacob primogenitus, ascendens cubile Patris, maculans stratum ejus, nec verens (quod ipsa horret natura) dormivit cum uxore Patris sui: quid non audet improbus amor? *Sicut aqua effusus es.* Commune elementum aqua, semper ad manum, effusa nihil retinet: talis est luxuria. Universitas iniuritatis, virtutum, donorum, gratiarum depopulatio, cogita quidquid volueris, una tantum cogitatio culpabiliter admissa cuncta vitiabit, deperdet cuncta. In Exercitu Sultani in pulvere tormentatio scintilla incidit ignis, totum in puncto consumpsit; tale est incendium luxuriæ: ignis est usque

O

que

que ad perditionem devorans. Vide in peccato luxuriæ universalitatem, vilitatem, tenacitatem. Universalitatem, ut dixit S. Remigius: pueri sunt virginis, vix ad usum rationis pervenitur, in lapsum impingitur, & dum vix noscitur, excedit, & superat ætatem malitia: quanta ipsi miserrima videntur, & quorum pars magna fuimus, vel ex notitia, & utinam in aliis experientia non in proprio capite terror; à principio mundi vix homines procreati, intenta cogitatio semper ad malum, sensus in pravum. Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, adeò creverunt peccata, ut universale diluvium totam deleverit terram, quia tota erat immunda. Sequitur ex igne, & sulphure pluvia super Sodomam, & Gomorrhā, illasque Provincias, quæ Paradisus erant, rededit in cineres, quia tota igne turpitudinis immutantis usum naturalem ardebat. Inde descende ad singula; & o si non ita eveniat usque ad consummationem orbis!

Vilitas, & quid vilius immunda, ac fœtente luxuria? Attende Prodigum paucem porcos, cupientem de illorum siliquis satiare ventrem, fame pereuentem, nudum, horridum, extra se possum, ideo postmodum in se reversum cæcitatem, mentis laborantem, dissipantem substantiam suam, dona naturæ, fortunæ bona, gratiam, virtutesque omnes, & ad nihil tandem redactum, velut dum in vase inverso omnia depereunt. Tenacitas, cuius animum semel luxuria tetigerit, velut pix irrepsit: vix tetigis picem, multis lotionibus non tollitur macula; à scintilla una augetur ignis, cuncta rededit in cinerem, sic etiam in Pentapolli evenit, pulcherrima ædificia, ad visum amoenissimæ arbores onustæ fructibus, cuncta tactu levi in favillam sunt redacta. Hæc est Hydra septem, imo infinita capita prodiens, cuncta mala ex hac

ràdice procedunt: *Manifesta sunt opera carnis*, quæ sunt fornicatio, immunditia, idolorum servitus, veneficia, sectæ, homicidia, ebrietates, comedationes, & his similia. Iterum universale vitium, juxta Augustinum P. continua pugna, rara, & numquam secura victoria; fortè ad horam eveniet, quod multis annis non evenit; nec in longa castitate fidendum, quoniam qui infirmitate cordis occultissimè laborant, ad multum tempus non sentiunt; colligitur tamen humor, qui dum repente incillit, etiam repente mortem solet inferre. Accesserat propè in agonia mortis posito mulier, ut videret si jam expirasset, quam moriens impetu repullit dicens: *Recede, adhuc vivit igniculus.* Reliquis in vitiis peccat homo in animam suam: in hoc etiam in corpus quod maculat, quot fœtoribus, infirmitatibus brevi in mortem adducit; animalia namque, quæ plus in luxuriam inclinantur, brevioris sunt vitae. Implebitur homo vitiis adolescentiæ suæ, & cum illo in pulvere dormient: *adolescens* iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Corpus ergo, quod est Templum Dei, sit membrum meretricis, in quo debuerat inhabitare S. Spiritus; Asmodæi, serpentum, atque draconum factum est spelunca; *porcorum mansit* quasi sus lota in volutabro, canis revertens ad vomitum suum. Corpus Sacrum Corporis Sanctissimi, ac Venerabilissimi Domini in Eucharistia, cuius Sacrum esse debuerat. Sapientes Philosophi ut rerum veritatem percipient, de essentiis rerum philosophantur, ac disputant; quid sit res, quotuplex, & in quas divisiones partitur, propter quid, de causis, de effectibus, & ita quid, qualesque sint res disputant, siveque omnium venantur essentiam. O immane monstrum luxuriæ! Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat quasi de vulva procedens? Dominus circumdedit terminis, dixit-

que: Hucusque vénies; & amplius non procedes; & hic confringes tumentes fluctus tuos. Arenam mari terminum posuit: fidelis Dominus, qui non patietur tentari vos, supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum. Verè dicebat Sapiens, quia scivi quod aliter continens esse non possum, nisi Deus det; propterea adii in oratione Dominum, & deprecatus sum in toto corde meo. Da, Domine, quod jubes, ajebat Augustinus Pater, & jube quod vis; disce facere quod potes, & petere quod non possis, quoniam Deus adjuvat ut possis: Sed quid est luxuria? *Inordinatus appetitus venereorum ex nimio cibo, & potu: ex gulositate gutturis, ac ventris, talis enutritur humor; tolle ligna, nè incendium, ac flamma concrescant; flamma combutens montes, ignis ardens in corpore, sensus maculans, cor accendens, orbis naufragium; qui facilè cæteros laqueos vitat, incidit in hunc, in quem, & dœmones, & infernus suam confidentiam habent, quoniam qui facilè cætera vitia superant, ab isto facilè superantur: halitus dœmonis has prunas ardere facit: tolle luxuriam, ad minus tertia pars peccatorum, & inferni cessabit: hæc inferos adimpler, hæc tertiam partem, parum dixi, ferè paucis demptis, qui vel ob avaritiam, vel iram, cæteraque vitia damnantur, quasi stellarum, hoc est, eorum, qui pluribus virtutibus fulgentes, velut stellæ videbantur in mundo, denigrati carbones accensi sint in inferno. O Deus misericors, ac clemens! Pluviam voluntariam segregabis Deus bæreditati tuæ, & infirmata est; tu vero perficies eam. Sancti Spiritûs, Domine, corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fœcundet.*

De divisione verò, per quot capita, per quot species, satius esset quod nec nominentur in nobis.

bis. Qualibus insidiis pugnet, quam occultis, quamque simulatis, quantos specie bonitatis ( major dolor ) ad ultima excitia deduxit ! Quis Salomonem, Samsonem, Davidem, altissimaque virtutum Cedros accenso hoc igne redegit in cinerem ? Audi Hieronymum : *Ex aspectibus blandis, ex dulcibus verbis, ex mutusculis in amoris signum, ubi non timebatur periculum, quasi ex aspide occulto, in pulvere abscondito, ut Scriptura loquitur : fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens unguis equi, ut cadat ascensor ejus retrò, vermiculus Cerastes in pulvere absconditus talem casum ascensori casu retrò ad terram ellidit, tanta imo virulentia, ac virtute pollet, ut si eques hasta illum vulnerarit, ascendat venenum per ipsam, ut illum tradat in mortem.* Venenum Aspidum insanabile tale ex Basilio procedit, ut vidisse, periisse est, ideo ait Hieronymus : Vide cecidisse Cedros Libani, de quorum lapsis non magis timerem, quam de lapsu Augustini, vel Ambrosii : quales autem sunt effectus ? Ipse Hieronymus : Audenter dico, cum Deus omnia possit, virginem post ruinam restituere non valet : valet quidem liberare de poena, sed non vult coronare corruptam mente : conquerebatur olim fera quædam calida, cernens vestigia plura eorum animalium, quæ ingrediebantur in Leonis speluncam, ut eum infirmum visitarent, & ajebat : *Vestigia spectantia te cerno, nulla retrorsum.* Iterum facilis descensus averni, noctes, atque dies patet atrii janua ditis ; sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est.

Iterum quibus, & occultissimis insidiis : recensui, dixit Dominus ad Saul, quæcumque fecit Amalech Israeli, & quomodo restitit ei quando egrediebatur de Ægypto, ut pergeret per viam inter-

terram promissionis ; percute ergo Amalech , & demolite universa ejus : non concupiscas quidquam ex illo , non ovem , non bovem , non asinum , imò nec liberes & hominem senem , non parvulum , nec fugentem ubera matris : hoc fuit præceptum . Pepercit Saul quibusdam , & inter cæteros parvulum Amalechitam , ob hoc peccatum jam privatio Regni ei fuit intimata ; decurrentibus porrò annis fugiens Saul de bello , irruit in gladium suum , dumque tota ejus anima adhuc in ipso esset , vidit virum quemdam , cui rogavit , ut irrueret in eum , ac interficeret , quoniam undique eum tenebant angustiæ ; nec poterat vivere . Sed quis Saulem interfecit ? Quid dixit postmodum David huic : Quisnam es tu ? Et quomodo ausus es mittere manum tuam in Christum Domini ? Cui ille : Amalechites ego sum : ergo parvulus in illo tempore servatus in vita contra Domini præceptum , crevit per annos , & mortem intulit Sauli , quoniam in vita servaret eum . Filia Babylonis misera , beatus qui tenebit , & alidet parvulos tuos ad petram : parvuli , cogitationes scilicet , dum vix evasci videntur . O filia Babylonis , ac confusionis misera , quæ tales parvulos nutris ! Tunc pia anima tales alide illos ad petram , ad Christum scilicet in Calvario , ad Christum in cruce pendentem , velut Moyses percussit virga bis silicem , cujus gemina percussio duo ligna crucis significat , juxta Augustinum P. ut egrediantur aquæ largissimæ , ut bibat populus , ac mundetur anima , fiatque in eo fons aquæ salientis in vitam æternam .

Progrediamur ad alia : fovea profunda mere-trix , viæ illius viæ inferi penetrantis in interio-  
ra mortis , nè innitaris verbis illius , nè dulcibus  
Num. 21. capiatis sermonibus ejus . Immisit Dominus in po-  
pulum ignitos serpentes , ad quorum morsus me-  
den-

dendos dixit Dominus ad Moysen: Fac serpentem æneum, &c. Ardorem veneni luxuriae tabem accendere, ipsæ ejus proprietates declarant: venenum ardere facit, serpit, & extenditur, & per totum corpus diffunditur, corruptit, & inficit carnem, odorem teterimum causat, ita quod etiam ad distantes fœtorem pertingere facit; in alio, vel ex halitu, vel levi tactu pettransit; hæc omnia facit luxuria; sed nota inter alia teterimum famæ odorem, cùm melius sit nomen bonum, quām divitiæ multæ; honorem deperditum, famam amisam, de qua verum habet illud: *Conscientia luxuriae portatile infernum, ignem, conscientiae vermem, teterimum odorem, vermem rodentem, quæ potiores sunt inferni pœnæ;* ita verum habet illud Gregorii Magni effatum: *Nulla major pœna, quām conscientia delicti.* Et illud Hieronymi: *Etsi bibat in auro, dormiat in pluma, non capiet somnium;* non claudet oculos, quoniam peccata carnis majoris sunt infamiae; propter quod inter aliquos Gentiles, pœna erat turpis, quod amasiam nudam super humeros traheret, ut erubesceret præsentia turpidinis suæ: quodnam vulnus intimius cordi, imaginationi, sensui, & cogitationi, quām pensare, revolvoreque in interiori imaginem turpidinis, ac vilitatis propter quam peccasti? O qualis erit illa cogitatio in inferno! Filius matrem occiderat, & in pœnam cadaver illius expositum ductus ad supplicium habebat, clamabatque præco: *Matrem tuam occidisti, matrem tuam occidisti.* Quomodo non rumperentur viscera ad tale expectaculum? Sic erit vel in vita hæc cogitatio, vel in inferno hæc imago. Conculcer inimicus, & comprehendat vitam meam, ajebat David, in pœnam admissæ culpæ: ò quām consultatam habet vitam dishonestus, & turpis! Quid lætitiae, quid gaudii in memoria perduto illo vi-

go-

gore castitatis, illa pace; ac quiete cōscientiæ? Intrante horum loco tristi, ac nigra umbra cuncta obvolente, qualitate morbida cuncta usque ad interiora mortis penetrante. Eleganti stilo depingit Salomon Proverb. 7. infœlicem occursum mulieris vagæ, & garrulæ, quæ quietis impatiens, & domi consistere non valens, per cancellos domus suæ prospiciens vidit vecordem juvenem transseuntem per plateas juxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obscuro ad vesperas cente die; & occurrit illi ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, apprehensumque deosculatur juvenem: veni inebriemur, & fruamur cupidis amplexibus, & ignorat quod quasi Bos trahatur ad victimam: Nè intueris vinum (ait tex-tus) quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mor-debit ut coluber; & sicut regulus venena diffundet.

Prover.  
23. v. 31.

Psal. 72.

Unum inter alia communiùs adnotatur de luxuria: duplex est homo, etsi unus tantum, & singularis sit: carnalis scilicet, & spiritialis; caro, & anima. Ex carne Brutis, ex spiritu Angelis comparatur. Ex carne dicit: Ut jumentum factus sum apud te, computruerunt jumenta in stercore suo: Homo comparatus est jumentis, & similis factus est illis. A spiritu, Angelorum æmulatur dignitatem: Minorasti eum paulò minus ab Angelis. In turpi homine spiritus in carnem quasi convertitur; absorbet caro spiritus, ut toto homo bestialis sit: in casto ipsa caro quasi qualitates induit spiritus. Degenerante spiritu in vilitatem carnis, in carnali homine ferè tantum videntur bestia; in casto etiam ipsa caro ferè induit privilegia spiritus. Bestialis homo, totus est caro; castus homo totus videtur spiritus ex gratia Dei. O mira metamorphosim! Magnificat anima mea

Do.


*Dominum : O exultavit spiritus meus in Deo salu-*  
*tari meo. Attende qualiter nostra Tympanistria Sa-*  
*cra , Beatissima Virgo Maria cantaberit : bis vo-*  
*catur , jam nomine animæ , jam spiritus , hæc duo,*  
*ut gratiam referant Deo , quod Mater electa sit*  
*Dei. Nùm corpus suam partem non habet , ut gra-*  
*tes referat , quod ex ipso carnem sumpserit Ver-*  
*bum ? Cur bis jam nomine animæ , jam nomine*  
*spiritus , non semel adhuc carnem ad exhibendas*  
*gratias Deo meminit ? Et urgetur plus : David Pro-*  
*genitor Christi , cuius filius assiduè nominatur , bis*  
*carnem vocat ad regnandi hoc beneficium :*  
*Cor meum , O caro mea exultaverunt in Deum* Psal. 83.  
*vivum ; non semel adhuc de spiritu mentionem*  
*facit ; Beata Virgo Maria bis de spiritu , nec no-*  
*minat carnem. David bis carnem , nec semel no-*  
*minat spiritum. Maria ob Virginitatem tota pul-*  
*chra , & sine macula , quasi carnem habuit , car-*  
*nis impedimenta nescientem , sed spiritus privile-*  
*gia fruentem. David peccavit cum Bethsabèe : Ec-*  
*ce spiritus totus caro ; in hoc Mariano privilegio*  
*etiam caro privilegia habuit spiritus , excessit in*  
*puritatem Angelos ; David in carne totus factus*  
*est caro , ut verum habeat , quod ipse dixit :*  
*Ut jumentum factus sum apud te ; & iterum : Ho-*  
*mo , cùm in honore esset , non intellexit ; compara-*  
*tus est jumentis insipientibus , O similis factus*  
*est illis.*

Psal. 72.

v. 23.

Psal. 48.

v. 13.



## DECLAMATIO XXI.

AD IDEM.

*Verba congregantis filii vomentis :: sanguisugae duæ sunt filiæ dicentes : Affer, Affer.*

*Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicit : sufficit ; infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non satiatur aqua; ignis verò numquam dicit : sufficit. Prov. 30.*



ALOMON Sapientissimus virorum expertus (proh dolor!) irreparabilia mala luxuriæ, vel fortè prævidens quæ in posterū eventura erant, dictus, inter alia nomina, *Vomens*, vel *Concionator*, in verba thematis protumpit, sub quibus plura implicavit, quām dixit; & quasi de luxuria, semel dixisse non sufficit, exempla multiplicat, proponit similitudines, & dùm numquam potest esse sufficiens quod dicitur, numquam sufficit copia dicentis, quia numquam sat esse potest, quod dicitur. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, irascibilis videlicet, & concupisibilis: sanguinem fugit sanguisuga, sanguinem quidem corruptum, in tantum donec rumpantur viscera ejus, numquam dicit satis; si tamen cenis, aut pulvis ei apponatur, cessat ab appetendo. *Infernus* dilatavit animam suam absque ullo termino, flatus Domini succendens eum, ardebit usque in inferni *novissima*; succensus ignis in furore ejus, nec deficient ligna peccatorum, quæ ibi ardent, quoniam per totam æternitatem, nec retractatio peccati, nec doloris, aut amoris Dei actus elici poterit. Ecce ligna inferni,  
quis

quis infelicior status? Si semel peccatum retraharent, cessaret infernus; sed numquam istud. Apparuit cuidam in inferno damnatus associatus dœmoni, qui ipsum tentatum in infernum detraherat; dictum est illis: Subjecimini Deo, voluntatem mutate; responderunt, & dixerunt: Plus vallet torqueri, quam subjici: plus à malo non flecti, quam à malo cessare. Sic ab initio diabolus peccat, nec à malo cessabit; talis est duritia dœmonum, ac damnatorum. Et quoniam luxuria numquam dicit satis, quasi os vulvæ, quasi terra quæ non satiatur aqua, quoniam ita fuit in vita, sic in morte, nec est locus poenitentiæ, quam non est invenire apud inferos. Qualis dignus planctus! Te in æternum Deum non diligere, in æternum odio habere, nec uno instanti cessare, quia in hac vita numquam cessavit luxuria! Ad omnem aquam turbidam aperiet os suum in honestus: quid tibi, ut bibas aquam turbidam?

Immoderatus ardor est ignis, ac luxuriæ, ut quemadmodum febris exardescit in corpore, sic luxuria ardeat in mente. Frequentior infirmitas corporis febris est, hæc febris in animo livido est: quam variæ febris species in corpore! qualiter etiam luxuria variè ardet in mente. Nullus etsi repentina morte sublatus, quantumvis repente sclopi iectu moriatur, instanti ei succenditur febris. Qualia, & quam varia symptomata, inquiunt Medici, in febrium vario genere; quam variæ qualitates, quam variæ complexiones, & in omnibus unus est mortis finis. Dicitur febris *Syncope*, quæ in instanti, vel ad horam occidit. Hæctica, quæ levis, ad tempus apparet, aliquando videtur liber infirmus, iterum reddit, longa duratio, incurabilis omnino, & talis ut usquè ad singula tabes procedat, de qua dicitur: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur,*

cum longas per moras convaluere tabes; halitu, vestibus, usque ad lapides, & parietes pervenit hæc qualitas, prava infectio: fortè progenies ab uno ad alium morte peribit; hæc erant initia parva. De cancre dictum est in principio facilis curationis, difficilis cognitionis: in progressu claræ cognitionis, impossibilis curationis. Quis in tertiana febris non mirabitur vicissitudinem frigoris, ac caloris? Ordinem temporis, immoderatum frigus præcedit, succedit febris nimius ardor; nonnè peccans humor, ex quo hujusmodi vicissitudo generatur? Quomodo ergo jam quiescit quasi non esset, jam tam varius, tamque oppositos in effectus prorumpit? Evenit istiusmodi quod illis, quibus cordis insilit dolor, quoniam colligitur humor insilit de repente, & interficit. Hæc sunt varia symptomata à Medicis dicta, à Philosophis qualitates vocatæ. Vide dœmoniacum illum Christo oblatum surdum, cæcum, ac mutum, ulterius, & lunaticum, ab infantia in aquam, vel in ignem projectum, ex ore salivas velut hebetem vomentem, in sepulchris habitantem, quasi lunaticum modò, quasi sanum, jam quasi sanctum, inter mortuos, in desertis, & quasi alium, sed ex alio motivo, Hieronymum in lapides impingentem, lapidumque iictibus se percutientem, ac conterentem: sic si quid potes adjuva nos, ajebat Christo Pater hujus misertus nostri: si credis omnia possilia sunt credenti: credo, inquit, adjuva incredulitatem nostram; & iterum: Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.

Beato Henrico de Suson, Ordinis Prædicatorum, Viro admirabilissimæ poenitentiæ, & altissimæ contemplationis munere illustrato, revelavit Deus in visione rupis, tractatu de novem rupibus, quæ ad præsens explicanda sumimus. In

medio mari altissima rupes , novemque mansio-  
nes in ascensu ejus : hominem , de quibus dici-  
tur , facies hominis sicut pisces maris contenden-  
tes exire de aquis , ut ad culmen summæ rupis  
ascendant ; frequentissimi casus in singulis rupi-  
bus , ita ut vix paucissimi pervenirent ad cul-  
men : aqua luxuria est , qui bibunt iniquitatem Job 15.  
*quasi aquam.* Qui bibit , & deglutit aquam , abs-  
que masticatione deglutit. In Hydropisi , quæ  
ponderositatem generat , intumescit venter , nec  
in ipsa sitis aqua extinguitur , sed quod plus  
bibitur , augetur sitis ; si de avaritia dicitur : *Cres-  
cit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit* , ni-  
hil minus de luxuria. Hydropisis infirmitas est  
ad mortem , incurabilis ferè est. De muliere Sa-  
maritana notanter advertitur , quod Samaritana  
erat , juxta D. Antonium de Padua , quia *Sama-  
ria* idem est ac *Custodia* ; detentus in carcere ,  
impeditus ad omnia , ad progrediendum , viden-  
dum , &c. In custodia , & vinculis malè tracta-  
tus à Præposito carceris , à Principe , vel majo-  
ri à quo detinetur , & fortè nec lucem videt : sic  
luxuriosus in carcere dœmonis detinetur.

Inter alia mala luxuriæ , quibus in hac vita ,  
& in alia punitur , non minor est remorsus cons-  
cientiæ ; sicut umbra sequitur corpus , sic tristitia ,  
remorsusque conscientiæ , ejusque vermis  
sequitur peccatum. Cæcitas mentis prima filia  
luxuriæ ; in hac vita tristitia , angor , etiam in  
sommis imaginationes : *Terrebis me per somnia* , ait Cap. 7.v.  
Job. Diva Maria Magdalena de Pazzis ajebat : se 14.  
de hac vita exire nesciens quomodo qui pecca-  
vit lætari valet ; & hoc maximè de luxuria. Ima-  
ginatio torquebitur , ipsiusmet cogitationibus , si-  
cūt frænetici , & amentes in somnis somnia fræne-  
sim , quoniam Angelus Satanæ , cui datæ sunt  
in hac , & alia vita colaphizat , discerpere vellent  
se

se ipsos, si possent. O intellectus, memoria, & voluntas! In quibus stat perfecta beatitudo, gaudium, & fruitio Dei; in his major in inferno poena: hujusmodi potentiae datæ sunt homini ad possidendum, & amandum Deum: qualiter ab hoc fine excidistis? His succedit odium, tenebrae, execratio, maledictio, blasphemiae in Deum: hec erit vestra æterna occupatio: quæ cantilenæ! O infelix Matutinum! Quæ desperationes! Et tu Domine in cruce pendens, qui sustinuisti maledictionem: quoniam maledictus omnis qui pendet in ligno, libera creaturam tuam ab æterna maledictione, nè audiamus: *Discidite à me maledicti;* sed: *Venite benedicti à Patre, Filio, ac Spiritu Sancto;* & his dictis parum dicamus de remediis, finemque pariter faciamus in re tantæ, tamque dilatæ materiae, quæ ut ajebat Apostolus, nec debet in nobis nominari, nè suo fœtore inficiat aures, & corda. Oratio mentalis designatur principale remedium; qui considerat, non peccat: *Quoties,* ajebat P. N. Augustinus, *memoriam delectatio carnis pulsat, ad vulnera Christi configias;* abscondere ibi in petra, illa refugium Herinaciis; peccatoribus scilicet, velut Hericci spinis peccatorum circumvoluti. Aliud remedium vita recte disposita, temperantia in cibis, jejunium, & mortificatio carnis, fuga occasionum, lectio librorum piorum, omnis abstinentia à luxu, & excessu, devotio ad Beatam Virginem Mariam, & Sanctos; oculis, auribus, linguae, ceterisque sensibus impnere fræna; à lectione turpi, à donis, & munusculis, reliquisque redolentibus impuritatem, quasi à facie colubri fuge. O quam grave damnum experientia quanto dolore probatum, spernere parva! *Qui spernit modica, paulatim decidet.* *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas, nam vinea nostra floruit.* Veni austera, &

Matth.  
25.

Ecclesiast.  
tici 16.  
Cantic. 2.  
v. 15.

& perfla hortum plantationum intima aspersione.  
Spiritus Sancte , tua nostra corda mundet infu-  
sio. Amen.

## DECLAMATIO XXII.

### CONTRA SUPERBIAM INITIUM omnis peccati.

*Vade , & lavare septies in Jordane , & reci-  
piet sanitatem caro tua , atque mundabe-  
ris. 4.Reg.3.v.10.*



IXIT Eliseus Nahaman Syro in in-  
firmitate lepræ laboranti : Sicut mo-  
tus cordis in homine est primum  
vivens , & ultimum moriens , sic  
superbia , quæ est appetitus excel-  
lentiae propriæ ; de qua Augustinus  
in Regula : *Aliæ namque iniquitates in malis ope-  
ribus exercentur , ut fiant ; superbia verò , etiam  
bonis operibus , insidiatur ut pereant.* Qui-  
nam perfectionis gradus , cui non insidietur su-  
perbia ? Et si locus detur diabolo , quantumvis  
parùm ingrediatur , ipse se extendit , cunctaque  
in vitium rediget. Per septena ostia Nilus emit-  
titur in mare , tanto strepitu , ut surdos vicinos  
reddat : per septena vitia superbia ruit præceps  
in omnium mare vitiorum. O quam surdi , vel  
quam surdis canitur , quæ in tantum se occul-  
tat , nè percipiatur , quasi Syrenes surdò canen-  
tes , vel mortuo verba facientes , quasi aures  
habentes , nec audientes , nec illam percipientes ,  
adeò est occulta malitia ! Lepra infirmitas ab  
in-

intus ad extra procedens, habitu inficit, tactuque. *Lavare septies in Jordane*, dixit Eliseus: Jordanis, fluvius Judicii; *descensus eorum* interpretatur. Per septem ostia ingreditur animam: propria excellentia, proprio judicio, voluntate propria, gloria vestium, divitarum, proprietate possessionum, vanitate scientiarum. Ergo lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem carotua, atque mundaberis. Humilitas superbiae opposita tres gradus habet: subjici majoribus, æqualibus, & inferioribus; sic ab opposito superbia majoribus non subjici, æqualibus superbite, inferiores despicer. Vide humilitatis alios gradus, nullum contemnere, contemnere se ipsum, contemni se contemnere.

Excusabatur Joannes Baptista dum Christus ab eo baptizari vellet. *Ego, inquit, à te debeo baptizari*; cui Christus: *Sic decet nos implere omnem justitiam*. Justitia est omnis virtus; tres habet gradus: ad Deum, ad seipsum, & proximum; sic & humilitas ad majores, æquales, & infimos. Subjiciebatur Joannes Christo superiori, Christus inferiori Joanni; uterque majori, æquali, ac inferiori: ergo omnis justitia impletur, cum omnis humilitatis gradus exequitur. Hanc virtutem edocendam, à nobisque addiscendam, dicit in Evangelio Christus: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*. Et Augustinus: Discite non mundum creare, nec in ipso mundo mirabilia facere, sed quoniam mitis sum, & humilis corde. Hanc ad edocendam descendit Christus è Cœlo: quis non miretur? Quia respexit humilitatem Ancillę suę. Non virginitatem, non maternitatem, non potentiam, quam fecit Deus in brachio suo; sed quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: *Ecce Ancilla Domini*. Per superbiam, ut seipsum diligit homo ad despectum Dei per-

ye-

venit; per humilitatem ad denegationem sui, usque ad amorem Dei ascendit: apertissimum signum damnationis est superbia; sicut humilitas prædestinationis. Esau reprobos designans; Jacob prædestinatos: erat autem Esau asper, durus venator; Jacob lenis, habitans in tabernaculis: isto oves à dextris designantur; hœdi autem, illo à sinistris. Ovis humile animal; nec si cœditur vix emittit vocem, non ferit, licet excorietur, & non solùm lanam, verùm etiam pellem sine quæstu offert tondenti; hœdus autem animal ad luxuriam, cornu feniens, ac impetens, ore fœtidus, saltans, per abruptaque gradiens; hoc signum superbiæ. Sit ergo homo sibi ipsi, proprioque judicio vilis, ac humilis, seque ducat pro nihilo, & quia plerumque spiritus vanitatis, suique inordinatus amor ambulare se in magnis, super se levare conatur, exaltare cor, verbis, ac cogitatu seducens, eò Christus infundit homini humilitatem, ut se ipsum parviperdat, in centro nihilitatis suæ quiescens; omnibus Dei donis se sentiat indignum, nullo se audeat æquiparari; nihil sibi nisi vitia sua adscribat, & nedum sub Deo, sed & creaturis omnibus sese submittat. Hæc humilitas totius sanctitatis vitale est fundamentum, quam qui adeptus est, omnium Dei donorum capacissimus est: humilitas hominem facit mitem, benignum, morigerum, clementem, misericordem, peccata sua memoriæ non oblivioni tradit, quasi extractum se ab inferis compunctione conteritur; unde dicit cum David: *Domine, eduxisti ab inferis animam meam;* & quia non minoris, sed & certè majoris beneficii est detinere labentem, quam extrahere lapsum, quasi eductus ab inferis, quæ pro peccatis suis meruerat, semper memoria retinet, cogitatque: Quot sunt, qui vel cum mi-

noribus , vel cum minimō numerō erunt in  
 inferis ! O quām utilis memoria ! O debita ma-  
 teria , & fomentum humilitatis ! Alia est spiritua-  
 lis superbia , corporalis alia. Ista circa res cor-  
 poreas versatur ; illa verò circa spirituales , vir-  
 tutes , ac dona superna : corporalis suos actus ha-  
 bet , videlicet , circa divitias , genus , vel nobilitatem ,  
 scientiam , pulchritudinem , honores , ac tempora-  
 lem gloriam , &c. Spiritualis verò circa virtutes ,  
 atque à Deo dona , tribuendo sibi quod non ha-  
 bet , judicando ea sibi deberi , supra quod ha-  
 bet præsumere ; atque extolli , non Deum Au-  
 thorem de bonis agnoscere , sibi ipsi quasi debita  
 præsumendo , quasi per propria merita habere ,  
 contra illud : *Quid babes, quod non accepisti ? Et*  
*si accepisti , quid gloriaris , quasi non acceperis ?* Jam  
 saturati estis , quasi soli essetis , divites facti si-  
 ne adjutorio alterius regnantes : Utinam ad re-  
 gnum humilitatis potius intenderetis ! Magnum  
 præmium : Qui se humiliat , exaltabitur ; sicut ex ad-  
 verso : Qui se exaltat , humiliabitur. Quām repeti-  
 ta sententia ! Quām experta ! Circa primum , à  
 miseriis liberantur , in quę ceciderant ; conser-  
 vantur in gratia ; ad majora à Deo erecti. Pro se-  
 cundo pariter tria damna ; ab excellentia excidea-  
 re , de qua superbiebant ; desiderata negare , cu-  
 jus loco vilitatem , & despectum ingerere , quod  
 timebant. O quām bonum , jucundum , atque  
 proficuum propter peccata se humiliare ! Contri-  
 to , & humiliato corde , quod non despicit Deus  
 peccata confiteri ; non est simile remedium ad-  
 versus peccata ; erigit Deus ad gradum subli-  
 miorem gloriæ , quo plus ad humilem peccati  
 confessionem procidit homo ; accumulantur virtu-  
 tes , supplicia merita minuuntur , quinimò &  
 tolluntur : O quām suavis medicina contra pec-  
 catum , se humilem peccatorem confiteri ! Infer-  
 no


no dignum, damnatis parem, immo ipsis dœmonibus, haec animam ad cœlum levant, haec ab inferno educunt, ut qui dignus erat inter dœmones torqueri, inter Angelos Paradisi gaudiis perfruatur. Quot sunt exemplaria! Angeli propter superbiam dœmones sunt facti, donis, quæ habebant privati, in profundo inferni protrusi: exemplum proposuit Christus Apostolis se gloriantibus, quod etiam dœmonia ipsis subjicerentur, quibus dixit Christus: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem*; hoc est: Similis erit vester casus, si similis fuerit vestra præsumptio: quoniam superbia ex Angelis dœmones facit, sicut & humilitas ex dœmonibus Angelos. Similes in exemplum positi sunt Nabuchodonosor, Cyrus, Herodes, aliquique plures, qui quasi essent Dii superbierunt, cum oporteret homines non Deo patria sentire, sed semetipos humiliare. Dixit Pharaon: *Quis est Dominus? Ne scio Dominum.* Dixit Nabuchodonosor: *Sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est.* Sic Danielis 4. Alius Nabuchodonosor à Deo flagellatus, humiliatusque coram eo confessus est potentiam Dei, semetipsum humiliavit, & dixit: *Laudo, O magnifico, O glorifico Regem cœli,* ejusque potentiam agnoscentes seipsum humiliavit, & sic veniam consequutus. Idem de Antiocho, Herode, & aliis. De Anania, & Saphira dicitur, quod ob vanam gloriam vendiderunt agrum, pretiumque apposuerunt ad pedes Apostolorum; eoque repentina morte puniti sunt, ut verum habeat: *Qui se humiliat, exaltabitur; qui se exaltat, humiliabitur.*

Exodij.

Judith 5.

Dan. 4.

Ex D.  
Ber. Ser.  
54.inCá-  
tic. Et D.  
Greg.lib.  
11. Mo-  
ral. cap.  
8. D.Ba-  
sil. Orat.  
17.de hu-  
militate,  
& vanan-  
gloria.



DECLAMATIO XXIII.  
IN FLAGELLO TERRÆMOTUUM  
à die 23. Martii anno 1748. in hoc  
Regno.

*De cœlo auditum fecisti judicium : terra tre-  
muit , & quievit. Psal. 75. v. 9.*

Ad Heb.  
10.v. 13.  
Jeremix  
10.v. 7.



ORREN DUM est incidere in manus Dei viventis : quis non timebit te , ô Rex gentium ! Circa horam septimam matutinam diei 23. Martii anni 1748. perceptus est terræmotus quasi parvus, dum statim quasi à furore iræ viventis Dei impulsus , & subito , prossiliens spatio viginti septem milliarium , & ultra usque ad trigesimum tertium pariter milliarium concussa terra de cœlo auditum judicium , tremuit terra , & non quievit ; ædificia plura , præcipue firmissimum B. V. Mariæ de Montesia Cœnobium , inexpugnabileque Castellum æquatum est solo , nec remansit lapis supra lapidem ; aperta est terra , parietes velut turbo contriti sunt , mortui homines plusquam numero viginti ; Venerabile Sacramentum Eucharistiae inter ruinas projectum , cùm tamen ( portentum mirabile ! ) Sacra Hostia , simulque & parvæ , coniectæ servatæ sunt in Pyxide. Respicis Domine terram , & facis eam tremere ; impellens parietem quasi turbo ; in Locis circumadjacentibus modò à supradicta die usque ad præsentem octavam Maji , in omnibus his non est aversus furor ejus , sed manus ejus adhuc extenta . Quis temperet à lacrymis ?

mis? Quis nōn commoveatur? *De cœlo* auditum est judicium, hæc sunt Judicii signa: Erunt terræmotus magni per loca: ecce respectus iræ desupèr. Civitates, Provincias, & Regna terræmotus obruisse in antiquis codicibus legimus; sed in nostris Provinciis, ac Regnis nec codicibus antiquioribus invenimus: *Ab ira tua, à flagello terræmotus, libera nos, Domine.* Contrita sunt ossa, consumpti sunt homines. Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis diem fætum agent tibi: sicut excusa olea, parvæ quæ remanerunt signa sunt, & justitiæ, & misericordiæ: justitiæ in multitudine, quæ periit; pietatis, ac misericordiæ in paucis, quæ salvæ sunt factæ. Hac comparatione exprimitur vel multitudo reproborum, paucitasque salvandorum, vel in qualibet ruina, vel à Deo inficto suppicio, & multitudo eorum, qui pereunt, & paucitas eorum, qui liberantur. Arescentibus hominibus præ timore, tunc qui fugerit ad montes, non revertatur in civitatem, nec in domum, nec veniat tollere tunicam suam; sic ad præsens, habitantibus hominibus in desertis locis, in tabernaculis, & pellibus, imò & ipso Venerabili, & Augustissimo Sacramento pariter sub his tabernaculis exposito. Quis tibi nunc sensus, dūm talia respicis? Melius esset fortè mori, quam videre mala, & exitia talia. *Ubi fugiam, nisi ad te Deus meus?* Quò ibo à spiritu tuo? Si ascendero in Cœlum, si descendero in infernum, si sumplerò pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Non confidentiam amittamus, nec dicemus ut in fine mundi montibus, cadite super nos; & collibus, operite nos; sub umbra tua vivemus, & in habitaculo sancto protectionis tuæ erit ha-

bitatio nostra. *Tu terribilis es; & quis resistet tibi?* Terra mota est, petræ scissæ sunt, custodes quasi mortui facti sunt in die Resurrectionis Domini. Cùm exiret populus de Ægypto, terra mota est, hi fuerunt lētitiæ motus: *A facie Domini mota est terra: montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium.* Deus cùm egredieris coram populo tuo iter faciens eis, terra mota est; sed nunc Domine, quia commovisti terram, sana contritiones ejus, quia mota est, quia conturbata est; præcipe ut quiescat, ut cuius corde terra, quam respicis, & facis eam tremere, ad tuam voluntatem quiescente cognoscamus, & talia flagella ex nostris peccatis prodire, ex tua misericordia cessare. Cor durum peccatoris, quod in fine male habebit, quod nec timore, nec minis, nec suppliciis terretur; quod nec Deum timet, nec homines veretur. Cor insensibile quidem, quasi illud de quo dictum est: *Ego indurabo cor Pharaonis, non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, hac irrigante emollietur.* Auferes cor lapideum, dabisque nobis cor carneum, quod te diligit, te sequatur; cor docile, cor humile, cor illustratum à te: sicut divisiones aquarum, ita cor hominis in manu Dei, ad quod voluerit convertet illud; sed convertere Domine ad nos, & convertemur ad te. Nùm adhuc tantis flagellis non emollietur cor nostrum? Usquequò peccatores, Domine? Usquequò peccatores gloriabuntur? Ingredere in terram, peccator, abscondere in fossa humo, introire in inferiora terræ, abscondere à facie iræ Dei viventis in sæcula sæculorum. Babylon, Babylon operta Margaritis, ebria de sanguine Sanctorum, cum qua fornicati sunt Reges terræ, venient in te una die plagæ cunctæ. Projecta es quasi lapis molaris usque ad profundum inferni. Corripe nos,

Do-

Domine, verumtamen non in furore tuo, nè forte ad nihilum redigas nos; & flagella iracundiae tuæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Peccavimus, Domine, peccavimus cum patribus nostris; injuste egimus, iniquitatem fecimus. Patris nostri peccaverunt, & nos iniquitates eorum portavimus, visitans iniquitates usque ad tertiam, & quartam generationem. Arguit nos conscientia nostra: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mentimur, & veritatem non facimus. Multorum nobis concisi delicitorum, nec sic desperamus; quoniam magnus venisti de cœlo Medicus, quia magnus in terris jacebat ægrotus.

Centurio, & qui cum eo erant in Calvariae monte, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, revertebantur percutientes pectora sua, & omnis turba eorum, quæ aderat ad spectaculum istud, dicebant: *Verè filius Dei erat iste. In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.* In terræmotu sepulchri in die Resurrectionis Domini, custodes facti sunt velut mortui, quoniam Angelus, qui Resurrectionem nuntiabat, & aspectu fulguris terrorem, & vestimentorum ejus candidus aspectus quasi nix, & malis terrorem, & bonis consolationem indicabat: sic ad præsens, produc, mitissime Domine, de cordis nostri duritia lacrymas, quibus debita flamarum incendia extinguere valeamus. Quis ambiget intra filias pharetræ justitiæ Omnipotentis Dei flagellum terræmotus, vel primum obtinere locum? Quid jam restat? Quis non commoveatur? Sana ergo contritiones ejus, quia commota est terra. Quæ in infelici statu peccati mortalis excipit tremor terræ, quasi Dathan, & Abiron, sub pedibus eorum aperta terra, devoravit eos, & quæ cum eis erant: deglutivit eos,

Matth.

27.

Habacuch. 3.

aut

aut pervenerunt vivi in infernum; aut brevissima morte perempti, rursus in corpore, & anima cruciabuntur sine fine. Si nos similis culpa constringeret, cur non similis æterna puniat pœna? O altitudo divitiarum! Nabuchodonosor, & Pharaon, quantum ad naturam ambo homines, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad culpam æqualiter tenebant captivum populum Dei: Quid ergo fines fecit inæquales? Pharaon cum Exercitu suo in mari rubro fluctibus involutus descendet in profundum quasi lapis; Nabuchodonosor cum feris habitavit in desertis, septem tempora mutata sunt super eum; fœnum quasi bos comedit. Hæc sunt flagella misericordiæ, ut cognosceret quia solus Dominus est Deus cœli, & terræ, ut reverteretur ad mentem, disceret non superbire, sed humiliari, quoniam est Deus in cœlo sursum, cuncta respiciens in terra deorsum. Dicente autem Jesu ad turbas, astiterunt nuntiantes ei quomodo Pilatus sacrificantibus Galilæis miscuit cum sacrificiis sanguinem eorum; similiterque qualiter diruta turris Siloe decem & octo interierunt involuti ruina turris, tunc ait Jesus: *Num quia ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem?* Non dico vobis: sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. In punitione plurium alios exterrendo minatur ut resipiscant; non te vult percutere, ajebat M. P. N. Augustinus, qui tibi clamat: *Observa.* Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui: ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Isaiæ 29. dicitur: *væ Ariel, Ariel;* additus est annus ad annum: E suggestu verba faciens in principio Quadragesimæ declamabam in altera de his Civitatibus, quæ modò varias commotiones, & terræmotus est experta,

Luc. 13.

di.

dicebam quidem : Ut veniat super vos omnis sanguis justus , qui effusus est super terram , à sanguine Abel justi , usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachie , quem occidistis inter Tempulum , & Altare , quoniam à retroactis annis cernebantur in pavimento maculae multæ sanguinis ex irruptione militari in ipso Templo , cum morte plurium , tūm Sacerdotum , tūm Laicorum , mulierum , adhuc & puerorum . Proh dolor ! Etiam publicè exposito , in tali necessitate , Venerabili , & Augustissimo Eucharistiæ Sacramento , hæc contigerunt ; post illas calamitates , quas etiam nostris vidimus oculis , non interjecto spatio annorum nullo , iterum formido , & pavor ; de cœlo dimicatum est : *Et circumvallabo Ariel , & erit Isaia 29. tristis , & moeren's :: à Domino Exercituum visitabitur in tonitruo , & commotionem terræ . Mirum est , quod de B. Andrea de Monte Regali scribit Magister Arpe ( in suo Pantheon pag. 229. ) ubi Corpus ejus se vidisse testatur illæsum , cum manu dextera elevata , quam numquam depositus ; anno 1691. terræmotu in Vestiniis desæviente , coram omnibus manus erexit , pectus , caput , in modum orantis , & fama est à terræmotu tunc liberata fuisse triginta sex vicina Castella intercessione haud dubiè hujus Dei Servi ; & manum non depositus nisi transacto terræmotu . Anno 1717. videbatur iterum manum elevasse . Anno 1726. cum dextera elevavit etiam pectus , & movit pedes , quasi extra cussinum . Pariter , & mirum de B. Rita de Cassia , cognomento Impossibilium Sancta , eoque ob frequentissima , & difficillima miracula pluribus implicatis impossibilibus , dum possibilia reddit , digna est in Ecclesia hac denominatione mirabili , in Approbatione R. P. M. Fr. Joannis Alvarez , Ordinis S. Augustini , in vita , quam scripsit*

In vita  
ejus.

Ita Ma-

gister Be-

nignus

Sichovys-

ki , Bohe-

mus , in

suis Soli-

loquias

Augsti-

nianis,

Pag. 37.


de B. Rita de Cassia R. Admodum P. M. Fr. Michael Figueredo, Prior Conventus B. M. de Gratia Ulyssiponensis, Ordinis S. P. N. Augustini; & ex eo in traductione R. P. Emmanuelis Gonzalez de Paz, Conventus S. Philippi Matritensis Concionatoris majoris, refertur, quod anno 1730. die 12. Mii, hora sexta in mane Romæ incœpit terræmotus magnus, inde pertransiit Nursiam patriam S. Benedicti, ubi desolatione facta ferè totius Civitatis, ruinis plusquam quadringenta hominum sepelivit; pervenit terræmotus usque Casiam, in distantia quatuor milliarium, ubi Corpus B. Ritæ asservatur in Conventu S. Mariæ Magdalene, ibique spatio quinque horarum talis fuit commotio terræ, ut judicarent habitatores Civitatis finem evenere mundi, & accurrentes, ut de more habent in aliis necessitatibus, ad Ecclesiam ubi custoditur Corpus incorruptum, & integrum B. Ritæ, cunctis videntibus, quod firmis feris, & vestibus Sepulchri ruptis, & reseratis; quorum claves apud diversos, diversisque in locis servabantur, elevatum est Corpus, profiliens extra Sepulchrum, & integro spatio quinque horarum oculis apertis, detinuit iram exterminii Dei ultimum exitium imminentis. Terra tremuit, & quievit; & peracto terræmotu absque lesione ulla, corpus B. Ritæ rediit ad Sepulchrum, sicut & brachium B. Andree depositum est ad pectus: Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terra? Fecit potentiam in brachio suo.

Psal. 75.  
68.

Ad Ephes  
4.  
Lucr 1.

Verum tursus attendimus verba illa Psal. 75:  
*De cœlo auditum fecisti iudicium. Augustinus P.*  
*De cœlo iudicium jaculatus es. Si acuero ut ful-*  
*gur gladium meum, & arripuerit iudicium ma-*  
*nus mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos*  
*manus mea. Hieronymus: Annuntiabis iudicium,*  
quo-

quoniam ante illud in fine mundi , & erunt ter-  
remotus magni per loca , & hæc sunt signa Ju-  
dicii. Iterum : *Auditum fecisti judicium.* Quis es  
in cœlo ostendisti in terra ; ex tunc ira tua , &  
pœna. *Terra* , id est , habitantes in terra , & qui  
de terra sumus , & p̄ timore quievit , & cessavit ab  
opere malo. Tu terribilis es futurus Judge , &  
tuo justo judicio : Terribilis est quædam expec-  
tatio judicii. Et quis resistet tibi ? Nullus. Ecce  
Prælati , & Clerici debent ejus iræ resistere , &  
placare eum pro populo. Ergo quis non com-  
moveatur adolescentibus hominibus p̄ timore , &  
confusione , dūm vident in puncto contritos mon-  
tes : quidni homo fragilis , contrita ossa , in  
pulverem redacta structura humana : devertitur  
pulvis in terram suam , ut spiritus redeat ad  
eum , qui fecit illum. Domine in terrore tanto ,  
confidentiam non amitteremus : cùm ignoremus quid  
agere debeamus , hoc solum residui habemus ,  
ut ad te oculos nostros convertamus , & corda.  
Parce Domine , parce populo tuo , ut qui justè  
pro peccatis nostris affligimur , pro tui Nominis  
gloria misericorditer liberemur. Amen.



# DECLAMATIO XXIV.

## PRÆVIA DE MEMORIA NECESSARIA Dolorosissimæ Passionis Christi.

*Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Thren. 3. v. 20.*



AM de Sacratissima, amabilissima, ac dolorosissima Passione Christi sermo noster percurrat. De necessitate, utilitate, de effectibus, doloreque: quibus verbis eam commendare poterimus? Manna absconditum, ad quod quisque voluerit, se convertit, medicina, & Apotheca ad omnia vulnera peccatorum, sicut Piscina, *Domus misericordiae*, in qua jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum; quinque porticus habens, ad curandas infirmitates quinque sensuum, Thesaurus omnes virtutes continens. Panis die, ac nocte ad omnia, & singula animæ fercula sociandus. Si oblitus fuero comedere panem hunc, aruit absurdio tamquam testa virtus mea: ad piscinam ergo, remediumque animarum, ad scholam omnium virtutum in medelam omnium vitiorum, cuncti omnes celeriter accurrite, incipientes, proficientes, & perfecti inde numquam avelli; tanto corde concupiscamus. Dicamusque omnes certi: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Vespere, mane, & meridie narrabo, & annuntiabo.* Vespere ad Cœnam, sermonemque de dilectione, lotione pedum, oratione in Horto, cum captus est peccatis nostris, cum funibus peccatorum,

quibus nōs ligati sumus, Filium Dei constringimus: *Captus namque est in peccatis nostris.* Ma- Thren. 4.  
 ne cūm adductus ad Tribunalia, jam Pilati, jam Herodis, iterū ad Pilati Tribunal reductus, pedibus conculcatus, flagellatus, spinis coronatus, irritus, & illusus, ad necem postulatus, Crucis pondere gravatus, ductus in Calvarium. Meridie crucifixus, tribus horis pendens, testamentum suum condens, septem illis verbis in Cruce prolatis, emisit spiritum. O fasciculus myrrhæ inter ubera mea semper amplexus; in corde commorans, amaritudine nos replens! Intellectus, sensus, voluntas, totaque anima absinthio, dulcique amaritudine exundet. Incipientibus, qui spinis peccatorum, adhuc involuti sunt, ut convertantur in ætumna dūm configitur spina: proficientibus, donec dicat anima: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae,* Psal. 53.  
*O volabo,*  
*O requiescam?* Donec dicant: *Ecce elongavi fu-* v. 7.  
*giens,* *O mansi in solitudine:* Perfectis verò, quibus montis excelsi Cervis, quasi salientes in montibus, transilientes colles, hæc sit sola tua habitatio, quæ in caverna maceriaræ, in foraminibus petraræ, in vulneribus Christi secura est, ac quieta habitatio. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Aruetuntque propheticō maledictō, ajebat Ambrosius, quoniam licet insensibilia forent, sensum dispensare debebant, eo quod in eis occubuerint Saul, & Iohannas, amabiles, & decori valde, qui in morte quoque non sunt divisi. *Anima, quæ non fuerit afflictæ, peribit de populis suis;* eo agnus Pascha- 2. Reg. 2.  
 lis cum lactucis agrestibus, paneque azymo co-  
 medebatur; qualiter enim amaritudo Passionis Christi, Passio tamen dolorosa, tamen ignominiosa, tamen amorosa, pertransivit sine lacrymis? Si cor- Leviticus  
 da dura: *Petræ scissæ sunt;* si emortua: *Monu- 23.*  
*menta aperta sunt;* si omnino terrea: *Et ipsa ter-* Matth.  
 27.

Gen. 37.  
v. 33.

*ra mota est. Cùm Jacob manibus tenens tunicam filii sui Joseph sanguine feræ tintam, & excisam lamentabatur: Fera pessima devoravit filium meum.* Orator, ac Declamator in Romanorum Senatu, ut excitaret auditores ad ulciscendam Cæsaris mortem, post Declamationem, tunicam ejus tulit dilaceratam, sanguine conspersam, pugionibus transversam, ut ad debitam vindictam provocaret. O Sanctissima humanitas! Tot flagellis, spinis, & clavis perforata! Quis tibi nunc sensus, Virgo, dūm talia cernis? Et tu Virgo Israel, devota anima, delicata per amorem, accensa per compassionem, qualiter siccii erunt oculi? Quando spectas ut dolore conficiaris, ut dulci amoris cibo vulnerata charitate soli ei vivas, qui pro te mortuus est? Orationem, ac meditationem nostrum oportere esse panem quotidianum, quis ignorat? Panem cum lacrymis die, ac nocte; potum cum felle mixtum, recordatione, & memoria absinthii, & fellis: *Lumina fel sanat;* nam virtus cordis, & jecoris diaboli expellit potestatem: fumus iste super carbones extricat omne genus dœmoniorum. Quæ ergo materia aptior, quām Passio Christi? Quid non ibi ad victoriā tentationum? Ut ajebat M. P. Augustinus, ad vulnera Christi confugiens cùm memoriam peccatorum tentatio pulsaret. Pro beneficiis exsolvendis, quid aptius Passione Christi? Pro peccatis dolorem; da lacrymam cordis cum Christi sanguine mixtam, da pro beneficiis gratitudinem, & in perpetuas æternitates accipe Deum. Omnia elementa, ajebat Gregorius, Authorem suum venisse testata sunt. Cœli enarraverunt gloriam Dei, cùm in ejus nativitate protinus stellam misserunt. Mare cognovit, quia se calcabile præbuit sub pedibus ejus. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit; & hunc quem omnia in-

sen-

sensibilia cognoscunt, adhuc infidelium corda non norunt, & duriora saxis corda scindi ad poenitendum nolunt. Ergo mortui mundo soli Christo viventes, in meditationibus sanctis, & in deliciis lætemur æternis. In tua meditatione, Christe, tota nostra vita: anima nostra desiderabit te in nocte, & in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te; in umbra tua vivemus, in te moveamur, & simus; & quoniam nobis præcipis memoriam tuæ Palsionis, quoties Corpus, & Sanguinem tuum sumimus, in tui memoriam facere video, dum tuum Corpus sumimus, pectus nostrum, ac cor sepulchrum tui esse debere; sic in pluribus Sanctis species Sacramentales conservabantur ab uno die in aliud cùm sumerentur: ergo simus hoc sepulchrum vivum, & clausum, sicut illud novum, in quo nondum quisquam positus fuerat, vel quasi prophetavit Iïas: *Et erit sepulchrum ejus gliosum: ibi mulieres sedentes contra sepulchrum lamentabantur flentes Dominum.*

*Et erit requies ejus gloria: gloriosum, propter miracula, quæ ibi sunt facta; lumen de cœlo descendebat pluribus annis Sabbato Sancto, quod lampades Ecclesiæ accendebat; sit novum excisum in petra, novum in quo nondum quisquam positus sit. Altare de lapidibus quos ferrum non tingerit: excisum in petra propter firmitatem; clausum nè liber sit, aut ingressus, aut egressus: ibi Corpus Christi aromatibus myrrha, & aloes, quasi Christi bonus odor de eo in omni loco, conditum. O quale Sepulchrum in triduo mortis Christi fuit cor, ac pectus Beatissimæ Matri Mariæ Virginis! Imitemur quantum possimus hujus Sepulchri dotes, ita die, ac nocte ad nos metiplos nostra cogitatio revertatur. Non te quæramus, Domine, extra, cùm tu sis intra: Eo enim, ajebat M. P. Augustinus, quærebam te,*

Isaiæ 11.  
v.10.

Matth.  
27.

&

& non inveniebam, quia te quærebam foris, cùm  
tu essem intus. Ita emortui mundo, sit nostra vi-  
ta ahsidua meditatio Paſſionis tuæ. Nihil expre-  
ſiūs, quin & principalis, imò & totus effectus  
meditationis Paſſionis Chriſti; hic sit, amori no-  
bis, in eamdem imaginem transformari, & in  
ſolo Crucifixo vivere. Nihil expressiūs ad perfe-  
ctionem Chriſtianam, quām totalis mors in nobis,  
& abyſſalis in Chriſti vita, & morte transfor-  
matio: mortuus præcipue pro Sacerdotibus, &  
magis pro Religiosis, expreſiūs habet hanc ima-  
ginem: ſive laus, ſive vituperium ſit de ipſo,  
nec quæritur, nec gaudet: à mundo oblitus, &  
ipſe mundum oblitus. Viliori, ac quod tantūm  
ſufficit ad nuditatem tegendam tunica contextus.  
Tandem ſicut nudus egressus eft de utero ma-  
tris, ita & nudus reuersus in centrum matris com-  
munis omnium, quę eft terra. Hoc opus noſtrum,  
hic totius vitæ ſcopus, hoc humillimè à te Præ-  
ceptor noſter tantūm quærimus, & rogamus. Er-  
go principalior, & totalis noſtre orationis, ac  
meditationis materia ſit dolorosa, & amabilis Paſ-  
ſio Chriſti; hinc & major abſque comparatione  
fructus, propter quod ajebat B. Albertus Mag-  
nus: Ex ſola ſimplici elevatione ad Crucifixum  
major fructus habetur, quām ex jejunio per an-  
num cum ſolo pane, & aqua, ex flagellatione  
uſque ad eſuſionem ſanguinis; quoniam plus  
amor, & virtutes excitantur, ita ut nullus ele-  
vet viſum ad Crucifixum, quin melior ex com-  
punctione, ac cordis teneritudine viſum inclinet.  
Et quidem ad omne bonum aſsequendum quid  
utilius? *Ego sum via, veritas, & vita,* ajebat  
Chriſtus: via recta, occulta, iuſtigabilis, pul-  
chra, et ſi spinis ſeminata, à qua divertens, viam  
civitatis, & habitaculi (cæleſtis) non invenit.  
*Veritas, vera doctrina, vera miracula, veræ pro-*  
*mis-*

Joann.

14.

D. Tho.  
à Villa-  
nova.

missiones, verus Deus, verus Homo; cùm tamen omnis homo, & quidquid in mundo est, mendax. *Vita, sine qua omnis mors;* propter quod dixit Christus, juxta expositionem Villanovani: *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc scietis quia ego sum.* Eò ajebat D. Bernardus: Circum-*eam, aut perambulem terram, imò ferè & Cœlum, nullibi te utilius inveniam, quām Crucifixum.* In Christo ergo Crucifixo, cùm cuncta bona inveniantur, specialius consideranda magnitudo dolorum, peccatorum nostrorum gravitas, beneficii magnitudo, Divinæ Bonitatis excellentia, multitudo virtutum in Passione, convenientior modus hujus Redemptionis. Ex his procedunt principaliores effectus: compassio Christi, odium peccati, gratitudo beneficij, amor divinæ bonitatis, Christi virtutum imitatio, laudatio divinæ Sapientiæ, simulque confirmatio nostra in fide hujus mysterii circa dolorum gravitatem, juxta Angelicum Doctorem, ille omnes excessit dolores, si excipias Inferni, & Purgatori. Charitas, & amor in Passione excedentia ex desiderio Redemptionis copiosissimæ, ac abundantissimæ, ex Passione absque solatio, ab omnibus detelictus, juxta quod ad Patrem dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Eò factus sum sicut homo sine adjutorio. Et Psal. 90. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Hujus figura, oblatio duorum animalium in sacrificium, & victimam pro peccatis populi, qui offerebantur, quorum alter mactabatur, & in holocaustum Deo offerebatur; alter in solidum dimittebatur, liberque evadebat, quoniam primum animal quasi morte pro libertate alterius offerebatur. Agnoscamus ergo, dilectissimi, quisnam paritur, quantum, à quibus, & pro quibus, quibus circumstantiis. Sed & multitudo

Joann. 8.

Mar. 15.  
v. 24.Psal. 78.  
Psal. 90.

virtutum; quas nos Dominus docet, & quas  
imitari debemus, sit principalior finis, juxta Pe-  
t. Petri 2. trum Apostolum Epist. 1. cap. 2. *Christus passus*  
*est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut se-*  
*quamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit,*  
*qui cum malediceretur, non maledicebat, &c.* Hinc  
charitas, humilitas, obedientia, patientia, man-  
suetudo, reliquæ cunctæ virtutes, ubi melius  
effulgent? Hinc ad singulas procedamus.

## DECLAMATIO XXV.

### DE ORATIONE IN HORTO, Agonia, & Captione Christi.

*Et hymno dicto, egressus est Jesus trans torren-  
tem Cedron. Joann. 18.*



B Horto voluptatis Paradiso in Eden plantato procedamus, anima mea, ad Hortum Gethsemani in monte Olivarum: quomodo ad invicem sibi astipulantur illi, ut quemadmodum in primo primus Adam de ter-  
ra terrenus, preceptum transgrediens, comestio-  
ne de ligno scientiæ boni, & mali, inobedien-  
tię peccatum in mundum induxerit, quod secun-  
dus Adam de Cœlo cœlestis obediens factus us-  
que ad mortem, illius inobedientiæ transgres-  
sionem, damnaque ejus dissolverit. Paradisus in  
Eden locus voluptatis, Hortus Gethsemani in Oli-  
varum monte, ubi Christi anima tristis usque ad  
mortem, ubi tædere cœpit, & pavere, agoniza-  
re usque ad mortem, ubi positus in agonia ube-  
rius

rius sanguineum sudorem emiserit, quo totum corpus Ecclesiæ abluatur, & sanctificetur, quasi si in primo, fons, qui egrediebatur de terra, divisus in quatuor capita, totam, universamque superficiem terræ irrigaret. Ergo hymno dicto in gratiarum actione, Psalmus scilicet: *In exitu Israël de Aegypto*, quod canebant filii Israël, post Cœnam agni Paschalis in memoriam egreslus de Aegypto, &c. Explica materiam, circumstantias, & aliqua mysteria hujus Psalmi. Hic melius pariter sudoris sanguinei animas irrigans tempus fœlicissimæ gratiæ, ad nos adduceret: O qualia, & quanta mysteria! Veniat dilectus meus in Hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum: fructus quidem illius inobedientiæ, sicut nunc istius obedientiæ fructu ad totum corpus Ecclesiæ Christus transfudit: non sicut delictum, ita & donum, in omnes inobedientia transivit, quos omnes quotidiè experimur, sed ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Ingreditur Hortum Christus, sequamur & nos: relictis ad ingressum aliis Discipulis, assumpto secum Petro, & duobus filiis Zebedei, procidens in faciem suam, cœpit pavere, & tædere: Petro quidem, in quo signatur fides; Jacobo, & Iohanne filiis tonittri: primo, qui luctator dicitur; secundo, qui gratia interpretatur: hi sunt qui eum viderunt in gloria transfigurationis, ut vetum habeat illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tue latifiscaverunt animam meam.* Orans ad Patrem dicebat: Domine, exaudi orationem meam, O clamor meus ad te veniat: à voce ergo gemitus mei, &c. Similis factus sum Pelicano solitudinis, &c. De quo scribitur, quod pullos præmortuos rostro rumpens peccatus fervido sanguine irrorans illos, ad vitam restituit sicut nictorax. *Sicut Paffer solitarius,* &c.

Psal. 93.  
v. 19.

Matth.  
28. v. 27.

Quasi servus oblatus debitori suo summae decem  
millium talentorum debitor, procidens ajebat: *Pati-  
entiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Fide-  
jussor sum, Pater, pro homine, quoniam hic le-  
vavit animam suam contra Deum, ut sumeret  
de fructu arboris prohibitæ: parva est distantia  
à modo ad sequentis diei vesperam: Ecce modò  
levo manus meas ad te, manus quidem puras,  
in oratione, sed sequenti vespera levabo in Cru-  
ce, ut clavis durissimis perforentur: *Patientiam  
habe in me, & omnia reddam tibi.*

Ibidem.

Si voluit esse  
sicut Deus, ego hic sum vermis, & non homo.  
Si illud cor superbum, vide istum humilem: si pe-  
des ambulando, legem tuam conculcando præcep-  
ta despexit, ecce pedes mei in hujus culpæ sa-  
tisfactionem, pariter durissimis clavis transfigen-  
tur, & cum nec possum fideiunctionem despicere, in sa-  
tisfactionem tot prohibitorum passuum, hos acer-  
vissimos dolores offeram tibi citò: *Patientiam ha-  
be in me, & omnia reddam tibi.*

Ibidem.

Coronam spi-  
neam pro tot cogitationibus pravis, superbis, &  
immundis tibi offero, parum à modo distat usque  
ad vesperam sequentem, flagella, sputa, irri-  
siones tibi offero, non tantum ad satisfactionem,  
sed & ad infinitam compensationem, sat erat sus-  
pirium, sat erat una gutta sanguinis: sed quid  
Theandricæ Dei actiones viriles, in quas suppo-  
situm Divinum totam Dei virtutem, valoremque  
refundit. Vide, Pater, si ista tibi sufficiunt, à  
primo instanti meæ Incarnationis usque ad ulti-  
mum vitæ meæ: *Patientiam habe in me, & om-  
nia reddam tibi.*

Ibidem.

Vide si est copiosa Redemptio,  
& plusquam delictum, donum. Procidit in faciem  
suam: O immensum pondus peccati! En in fla-  
gella paratus, supra dorsum meum fabricabant  
peccatores; fulcos fecerunt: *Patientiam habe in  
me, & omnia reddam tibi.* Quis tuos, Domine,

repetens angores ; percurrēns labōres , lacrymas ,  
 imò ; & sudorem sanguineum attendens , non  
 conlacrymetur ? O fœlix terra , tali sanguineo su-  
 dore irrigata , & frugifera facta ! Jam non in  
 transgressionem pœnam in sudore vultus tui Adam  
 primus vesceris pane ; non jam cùm eam colue-  
 ris spinas , & fratribulos germinabit tibi : quot flo-  
 res , quos ructus , quas virtutes , quid germi-  
 nabit hæc terra ? Refert Egesippus , quoniam de-  
 currente sanguineo sudore abundantē super ter-  
 ram , nascebantur flores , illam habentes inscrip-  
 tionem : *O mors , quām amara est memoria tua!* Ecclesiastici 41.  
 Si licuit Poetis effingere , quod ex sanguine cur-  
 rente in terram in morte Aiacis nati sunt flo-  
 res hyacinthi , cum inscriptione : *A*, & *Y*, quasi vœ,  
 non dedignetur anima has Declamationes lege-  
 re : *O mors , quām amara est memoria tua !* O  
 balneum salutiferum ! Omnes sitientes venite ad Isaïe 55.  
*aquas , O qui non babetis argentum , properate ,*  
*emite absque argento , O absque ulla commuta-*  
*tione vinum , O lac.* Quidquid indigueritis , à  
 Deo postulate , qui dat omnibus affluenter , &  
 non improperat : affluenter , ac abundantē , non  
 parcè : generaliter , non uni , sed omnibus : libe-  
 taliter , non vendens , sed sine pretio dans ; pos-  
 tula autem , o anima ! *In fide , nihil hæsitans:*  
 nam si hæsitaveris , nè aestimes quidquam à Do-  
 mino receptura . Tribus oravit horis , in cuius  
 memoriam tribus nocturnis in Matutinis Ecclesia  
 laudes in Deum concinavit ; additis insuper ipsis  
 laudibus , in quibus omnes creaturas invitat , qua-  
 si effectus ad suum factorem , & Deum , à quo  
 illud esse acceperunt , ut licet insensibilia ejus  
 voluntatem facientes , quoniam *ipse dixit , O*  
*facta sunt , ipse mandavit , O creata sunt ;* cunc-  
 ta benedicant Deum de Cœlis , & terra , lau-  
 dent illum ; omnis spiritus laudet Dominum : om-  
 nīs

nis spiratio, nec ulla est, quæ non sit à Deo; nè ergo aliquam ab ipso sumemur, omnis spiratio laudet Dominum. Erubescere, & confundere, tu homo, qui & majora debes, & rationalis es, nec sic exolvis Deo sicut inanimantia, & bruta. O fœlix nox tribus ad minus horis in Oratione impletis! Vide David Regem inter curas,

Psalm.  
118. v.  
62.

inter bella dicentem: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi. O media nox, quieta hora! Dùm medium silentium tenerent omnia, O nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus, Domine, de Cœlis à Regalibus sedibus in medium exterminit terram proflivit.* Hac hora extitit occasio primogenitorum Ægypti; hac hora Verbum Dei caro factum est. Hac hora quietissima natus est; & hac eadem hora, qua tenebris noctis facilius perpetrantur mala, & tot occultantur peccata in silentio, & quiete noctis, Deus forte sua Mysteria loquitur, & revelat hominibus suam voluntatem; loquens illis illustrationibus frequentioribus manifestat arcana. O verè beata nox!

Psal. 87.  
v. 8.

*Tristitiam, angorem, & pavorem tamquam fluctus in animam exprimens, illud cogitabat: Omnes fluctus tuos induxisti super me. In anima apprehensio plus est, quàm in corpore passio: A timore inimici eripe animam meam;* quid erit potestas, dūm sic terrebat timor, exponit Augustinus:

*In me transferunt iræ tuae, O terrores tui conturbaverunt me. Intraverunt aquæ usque ad animam meam; tædet animam meam vitæ meæ, ajebant Job, & Paulus; ita ut tæderet nos etiam vivere. Ecce tædium, angor, & tristitia, cæterique fluctus; tempestas demersit me; timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. O Sanctissima Anima! Tunc præsentia, futura tormenta, peccataque omnia sicut in plano in puncto totum pondus globi innititur; si nos*

Psal. 87.

v. 17.

Psal. 68.

v. 1.

Job 10.

v. 1. 2. ad

Cor. 1.

nostra pèccata non fuissent, minus fuisset dolor,  
 minus pondus, minus agonia, tædium, & tristitia; tunc verum habuit illud: *Circumdederunt me canes multi: circumdederunt me vituli multi: erue à framea Deus animam meam.* Framea fuit cogitatio peccatorum, canes, & vituli multitudine eorum, sicut & dolorum. O iterum anima Sanctissima! Quis tuas repetens lacrymas non conlacrymetur? Quis tuos percurrentes labores non commoveatur? Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia. Qualis agonia mortis! Si Filium Dei sic pro alienis peccatis ultima nocte vitæ exterruit, quid nobis in hora ultima vitæ? Breve mappa ubi in carta brevi Provinciæ, & Regna brevissimo spatio depinguntur: sic erit cor hominis pro nunc; pro singulis membris plures erunt dolores, quam membra: *Si cognovisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis?* Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem. Hæc quidem adimplenta sunt in vallo, & excidio Jerusalém civitatis, adeò ut etiam usque ad fundamenta arata sit civitas, ut nec ipsi lapides fundamenti in suo loco manerent; nec in ipsis lapis super lapidem maneret, cogitantes inimici Thesauros sub terra fuisse absconditos. Ad mores autem nostros in mystica animæ nostræ Jerusalém, hæc sunt adimplenda: quid non excidet loco? Cuncta subvertentur, nec remanebit lapis super lapidem. De torrente in via bibet, si in æstate torrentem pertransieris, siccatus est torrens; ludens absque periculo pertransies; accessit hyems, congregantur pluviae, nequit pertransiri torrens: qui prius nimia siccitate nullum signum dabat qualiter.

Psal. 21.

Ecclesiasti 4. v.  
33.Lucæ 19.  
v. 42.

ter sic crescere posset: nunc ergo hæc abscondita in lucem procedent. Tempore agonis dum venerint dies illi super nos, quorū impetus ex concursu aquarum, peccatorum, dolorum, conscientiæ angoris, ac turbulentiarum? Quis aquam adeò intolerabilem pertransiet? Oremus Dominum, nè in hora exitus prævaleat inimicus, & cum Angelis Sanctis transitum habere mereamur ad vitam. Hæc ventura sunt super nos in die illa, nunc abscondita ab oculis nostris. Ad eos qui venerant Jesum apprehendere, dixit Christus:

*Hæc est hora vestra, O potestas tenebrarum,* tunc derelictus in manus eorum tamquam Diaboli ministri, plus in eorum voluntate, quam

*Job 2. v. 6.* Job in manus Sathanæ, cui dictum: *Verumtamen animam illius serva;* qualis exceptio modò non est facta, cùm imò ad mortem sit traditus: tunc ergo accesserunt, eumque comprehenderunt, ac ligaverunt; Judas, ex Apostolo factus apostata, Principes Judæorum, & Magistratus populi, qui locum tenebant sanctitatis, ac justitiae, deteriores facti, quoniam corruptio optimi pessima; sic & generosioris vini plus acidum fit acetum: sic Lucifer primus inter Choros Angelorum, & Seraphinorum in infimum inferni projectus, nos docet, qualiter à majori altitudine plus timendum; *elevans* namque, dicit Scriptura, *allieisti me, O ab altitudine diei timebo.* Ergo permisso facta, irruit illa cohors, & quasi exultant victores capta præda, præcipue die desiderata, irruunt in Agnum mansuetissimum, sicut Apes circumdantes; sicut ignis exardescens in spinis, quasi canes, & impetu facto, projecto in terram mansuetissimo Agno, conculcaverunt eum, adimpleto vaticinio Psalmi:


*Psal. 55. ferere mei Deus, miserere mei, quoniam conculcavit me homo; conculcaverunt me inimici mei,* quo-

quoniam multi bellantes adversum me. Dixérat Je-sus interrogans quem quærerent: *Ego sum*, & ad primam vocem: *Abierunt retrorsum*, & ceci-derunt in terram. Iterum interrogavit: Quem quæritis? Responsoque: *Iesum Nazarenum*, per-missus est se teneri. Primum *Ego sum*, indicat omnipotentiam, & divinitatem; secundum hu-militatem, & permissionem in natura assumpta; ad primum non timentes duro, & obstinato cor-de, *Quoniam nemo potest corrigere quos Deus des-pexerit*, ad malitiæ complementum processerunt, Christum pedibus conculcaverunt: *o pedes sacri-legi!* *Quanto magis putatis deteriora mereri sup-plicia*, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit. Cecidit Daniel ad pedes ejus, qui loquebatur: ab humiliori loco, Domine, respectivè ad majorem altitudi-nem, tua gratia hominem sublevat, non nos per-mittas in duritiam cordis, obstinatamque volunta-tem incidere. Primum *Ego sum*, tuam omnipot-entiam, absque ullo termino, tuam infinitatem, cæterasque infinitas perfectiones veremur; abs-condemus facies nostras, quoniam quis vultum tuum in suo splendore poterit videre: quia non es agnitus ad præsens, propter quod interroga-ti: *Quem quæritis?* Non responderunt: *Te*, sed: *Ie-sum Nazarenum*. Quæremus ergo vultum tuum, illumina illum super nos, in quem desiderant An-geli prospicere, irradia intellectui, ac menti nos-træ; hic per fidem te agnoscamus, donec in Patria Beati semper tuâ præsentiâ fruamur.

Joann.  
18.

Ecclesiastes 7. v.  
14.

Ad He-br. 10. v.  
29.



DECLAMATIO XXVI.  
AD CHRISTUM PRINCIPIBUS,  
ac Concilio Sacerdotum præsentatum.

*Et adduxerunt eum ad Annam primūm, qui  
erat sacer Caiphæ, &c. Joann. 18. v. 13.*



Gen. 34.  
v. 30.

Gen. 49.  
v. 7.

INDICTA acceptâ à filiis Jacob Si-  
meon, & Levi de Sichemitis ob stu-  
prum sororis suæ Dinæ, horrendum  
scelus perpetravunt fictâ amicitiâ,  
& pacto irruentes in civitatem, de-  
populaverunt eam, & arreptis gla-  
diis occiderunt omnes masculos, irruentes super  
occisos, & uxores duxerunt captivas, specie  
quidem religiosæ circumcisioñis, verè tandem  
deceptionis, ac vindictæ. O sacrilegum scelus!  
Quo audito, Jacob dixit filiis suis: *Turbastis me,*  
*& odiosum me fecistis Chananaeis, & Pherezæis.* In-  
deque ad hæc prospiciens, sic ad eos loquutus  
est: *Simeon, & Levi vase iniquitatis bellantia male-*  
*dicetus furor eorum, quia pertinax, & indignatio*  
*eorum, quia dura.* Ex tribu Levi Sacerdotali pro ma-  
jori parte componebatur Concilium Sanhædrim ex  
septuaginta duobus Judicibus, præcipue ad cau-  
ſas Religionis ex Scribis, & Pharisæis, videlicet  
Scribis, qui habebantur ut periti in lege; & Pha-  
risæis, qui virtutem, & Sanctitatem videbantur  
specialiter in populo profiteri: sed quales isti erant,  
qualeque concilium? Lege invectivam Christi ad  
eos Matthæi 23. Ibi apparet vita iniqua eorum,  
qualiterque tenentes locum sanctitatis, legis, &  
doctrinæ, perversi peiores essent omnium: de his  
etiam

etiam Danielis 13. dicitur: *Egressa est iniquitas ab his qui videbantur regere populum.* Ecce consilium malignantium! o agnus innocens, ac mansuetus: hi sunt vituli multi, tauri pingues, qui circundederunt te; hi erunt Judices tui: *Vi-di aliud malum sub cælo,* ajebat Salomon, in loco *Judicii sedere impietatem, & in loco Justitiae ini-*  
*quitatem: propterea egreditur judicium perversum.* Hinc, & Gentiles pro explicando majori damno, ac inversione mundi, depinxerunt in tribunali Ju-  
 dicis sedentem draconem, ad cuius pedes judi-  
 canda apparebat veritas, & innocentia, in for-  
 ma juvenculae pulcherrimæ. Sed veniamus ad doc-  
 trinam sacram: *Erudimini qui iudicatis terram,* ajebat David; horreo quoties incido in illa ver-  
 ba: *Ad vos sunt, o Reges, hi sermones, qui pla-*  
*cetis vobis in turbis nationum: horrendè, & citò*  
*apparebit vobis, quia durissimum judicium his qui*  
*præsunt fiet: exiguo enim conceditur misericordia:*  
*potentes autem potenter tormenta patientur. Quid*  
 non inversum, si injustitia justitiam judicat? *Deus*  
*fletit in Sinagoga Deorum, in medio autem Deos*  
*dijudicat: Ego dixi Dii estis:: vos autem sicut ho-*  
*mines moriemini, & sicut unus de Principibus ca-*  
*detis. Ingredere ergo mansuetissime Agnus, hic te*  
*injustitiae tribunal expectat, Annas, Cayphas,*  
*reliqui pro tribunali astantes. Interrogavit Ponti-*  
*fix Jesum de doctrina, & ad mansuetissimam*  
*responsionem, unus assistens ministrorum dedit*  
*alapam Jesu dicens: Sic respondes Pontifici? Exhor-*  
*rescat Cœlum, contremiscat terra, dicebat Sanctus*  
*Chrysostomus, de militis impudentia, de Salvatoris*  
*patientia. Vultum, in quem desiderant Angeli pro-*  
*plicere, quem plusquam Salomonis desiderabat vide-*  
*re universa terra; cuius sola visione beantur Angeli,*  
*& Sancti in Patria. Michæam in maxilla percussit*  
*Sedecias filius Chanaana, coram Prophetis inquisi-*

Ecclesiast.  
tes 3. v.  
16.

Habacuc  
1. v. 4.

Psal. 2.  
v. 10.

Sapientie  
6.

Psal. 81.

Joann.  
17. v. 22.

3. Reg.  
22. v. 24.

simis; comminataque fuit Sedeciæ absconsio intra cubiculum, ut mortem effugeret, inde mors Regis Achab, cuius sanguinem linxerunt canes, infoelicissimusque exitus vitæ ejus in bello. Sic quia levavit Oza manum, tetigitque arcam, percussit eum Dominus super temeritate, & mortuus est ibi juxta arcam. Tunc tumultuosi, & confusi irruerunt omnes in Iesum percutientes eum, conculcantes, expuentes, omnibus convitiis in eum, qui non aperuit os suum, & cum malediceretur, non maledicebat. Hinc ad Caypham ductus. Modò negationes Petri memorandæ sunt. Negationibus execrationes adjungendæ, coepit detestari, & jurare, sed contra

Matth. 26. v. 74. versus Dominus respexit Petrum; egressus Petrus

flevit amarè. In domo Cayphæ post sputa, cæterasque irrisiones, quas solus dæmon in eorum mentibus, manusque ministrorum ejus inducere posset. Memoremus illud David Psal. 87. *Posuerunt me in loco inferiori, in tenebris, & in umbra mortis: collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* De his prophetia: *Et castigatio mea in matutinis.* O sacra nox usque ad horam matutinam! de qua D. Hieronymus: Quæ Christus in hac nocte pertulit, ac sustinuit, in die Judicii notum erit; non tantum in carcere foetido oneratus ferroc ac catenis, stetit Christus, sed ut Patres prou, in suis considerationibus habent, ut olim Jeremias in lacu, in coeno, & ab inimicis deterioribus ab ita, & odio in majori gradu ad quem nusquam videtur homines pervenisse, ibi jacuisti bone Jesu. O coenum peccatorum! Hæret animus, obmutescit lingua: da Domine, ascendat in cor, quod in lingua ascendere nequit: sed dic nobis modò, Redemptor noster, quid cogitasti cum stages solitarius, & faceres? Cogitavi, inquit, dies

Psal. 76.  
v. 6.

antiquos, O annos aeternos in mente habui: O meditatus sum nocte cum corde meo. Nonne tu Deus sedes super Cherubim ad dexteram Patris in Cœlis? Tribus digitis appendens molem universæ terræ? Aequalis Patri in omnipotentia, sapientia, & bonitate, in attributis, cunctisque perfectionibus, quæ quia Dei sunt, Deus sunt? Quid ergo cum his vilitatibus, dum in Cœlo non potest esse major exaltatio; in terra nec major vilitas, & despectio? Ibi nos omnes habuisti in mente, pro omnibus exorasti, pro me vilissimo, ac indignissimo peccatore, vadem te obtulisti Patri: quis jam diffidet, licet infinita sint peccata? O bone Jesu! *Infixus sum in limo profundi: intraverunt aquæ usque ad animam meam. Veni in altitudinem maris, O tempestas demer- sit me. Mitte manum tuam de alto, eripe me de aquis multis, O de profundis aquarum.* Laborabat David in gemitu suo per singulas noctes, lavabat, & rigabat lectum suum, fortè memorans, quod in eo peccasset in Deum cum Bethsabee; ut ubi voluptatem peccando habuerat, in quo lætatus fuerat, ibi dolorem, & pœnitentiam ageret: ergo nos in matutinis meditemur in te, ad te de luce Deus vigilemus: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* O nox Sacra diei Jovis Sancti, à Christo in his doloribus perfecta! Consurge, o anima mea, in nocte in principio vigiliarum; effunde cor tuum in conspectu Domini: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, O non sum loquutus; nunquid in aeternum projiciet Deus?* Nunquid obliviscetur misericordias suas? Nunquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua, O justitia tua in terra oblivionis? Manè autem facto concilium inierunt in Jesum Principes Sacerdotum, ut eum morti traderent, sta-

Psal. 72.

tue.

tuerunt eum in concilio; illuxit optatus dies; quem exultavit Abraham, ut videret, quem desiderio desiderasti, quo baptismo habes baptizati, & quomodo dixisti, coarctor usque dum perficiatur. Dies seculi ab aeterno praedestinatus jam irradiat aeterna lux sedentibus in tenebris, & umbra mortis: jam diem redemptionis novae, reparationis antiquae, felicitatis aeternae: citò portas aereas, & vectes ferreos confringes, ut educas vincitos tuos de lacu, in quo non est aqua. Appropinqua Domine ad concilium plus gressibus amoris, quam corporis. Dies mortis, & dies vitae, dies laetitiae, & tribulationis, & angoris: O metamorphosis sacra! Noli timere, aut erubescere, anima: inter cæteras irrisiones Christus purpurâ indutus Regem fictum representat, veste albâ indutus, mente captum, & amentem proponit. O munde verè amens! verè fictus! O homo microcosmos, mundus parvus,

Psal. 4.v.

3.

Isaie 5.v.

20.

Psal. 61.

v. 10.

ubi in tuo corde cuncta residet fictio! *Fili hominum usque quod gravi corde?* Omnis homo mendax, tu solus Deus verax: *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum:* qui ponitis lucem in tenebras, tenebras in lucem, dulce in amarum, amarum in dulce. Mendaces filii hominum in stateris, ut decipient de vanitate in ipsum. In unum, glossat Augustinus, quasi sit unum genus, multæque species, ac individua sub uno genere. Sic ratio generica coloris continens sub se species colorum, albi scilicet, nigri, &c. sic variæ errores, mendacia, falsitates, &c. Sed unum genus mendacii, ac vanitatis, quæ in cunctas species vanitatis, & errorum dividitur: ut decipient de vanitate in unum.

Statuerunt itaque Jesum in concilio: *Prima sputis replet,* in cuius memoria primam horam continuo summo manè recitamus. *Prima sputis*

*replet, oportet prævenire Solem, & ad orientem lucis adorare: Repleti sumus manè misericordia tua.* Hinc in mane Manna colligebatur, quoniam radiis Solis tabescerat, & liquefiebat; hæc hora est initium diei, primitiæ Deo offrendæ sunt; statuamus ante oculos nostri cordis Christum in domo Cayphæ in concilio præsentatum, extractum de lacu, tot convitiis, & doloribus ex hac nocte laboriosa fatigatum: & qui nos ad principium diei pervenire facis dum dies abcesserit, conserva nos sine peccato; & cum dies ultimus advenerit post mortalis vitæ cursum, tu lux vera nos illumina, ut in æternum tibi cantemus gloriam. Amen.

## DECLAMATIO XXVII.

DE CHRISTO MANE FERIÆ SEXTÆ  
in Parasceve coram Pilato, Herode, &c.

*Manè autem factò Concilium inierunt Principes Sacerdotum, & Seniores Populi adversus Jesum, ut eum morti traderent: & tradiderunt eum Pilato. Matth. 27.*



VIGILANT mali in pravum: Non Proverb.  
enim dormiunt nisi malefecerint, & 4. v. 16.  
non rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint. Desiderabat Christus  
quasi impatiens amoris hunc mortis diem, quo Cœli erant aperiendi:  
mali desiderabant ad complendam malitiam,  
Christus ad dimittenda peccata: unde & verum Isaiæ 40.  
habet: *Quoniam completa est malitia ejus, dimis-* v. 2.  
*sa*

*sa est iniq[ue]itas illius.* Interrogavit ergo Pilatus de accusatione adversus Christum, ipsumque de regno suo, de veritate: *Quid est veritas?* Excusationem illius procurabat; è contrà Judæi de subversione gentis, de commotione populi, quod se etiam ficeret Regem, quod illis non liceret interficere quemquam, & ut veri hypocritæ, qui est representator alterius personæ, non introierunt prætorium, quasi quod legem observarent, atque dicebant: *Nobis non licet quemquam interficere,* quasi in Judicem hominem delictum impingere volentes, quasi possent Deum

**Aug. P.** Judicem fallere, *iniq[ue]itatem facinoris sui in hominem Judicem refundere volebant, sed numquid Deum Judicem fallebant?* Et quasi tot

**Lucæ 23.** voces: *Crucifige, crucifige,* illæque præcipue:

**Matth. 27. v. 25.** *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros;* cuius supplicium, atque maledictio in filios, filiorumque filios evenire, & amodò eventuram esse conspicimus. Hæc fuerunt accusationes; hæc examina Judicis; sed notemus pauca: *Ergo Rex es tu?* ait Pilatus; respondit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc: habes in memore scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium:* Non eripis mortalia, qui regna das cœlestia, ut in regnum credentes, sperantes, amantesque perducas, ut inquit Augustinus P. de Cœlo ad terram descendisti; unum Cœlorum regnum idem præmium diversis nominibus expressum hominibus promittis:

**Apoca. 1yp. 19.** *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Regnum Dei non est esca, aut potus, sed

**Ad Rom. 14. v. 17.** *justitia, & pax, gaudium in Sp[iritu] Sancto, &c.*

Tuis

Tuis laboribus, quot vigiliis, orationibus, paſſione, ac morte, æternum nobis comparas regnum. Quid de mundi Regibus, aut temporali Regno? *Rex est bodie, O cras morietur: fui Rex Ecclesia in Israel, O primam vocem similem omnibus stici 10.*  
*emisi plorans, in volumentis nutritus, O curis magnis, neque enim quiquam ex Regibus aliad Ecclesiastes 1.*  
*habuit nativitatis initium, sed regnum Dei intra vos est.* Appropinquavit regnum Cœlorum; regnum, quo paupertate thesauri, lacrymis gaudia, laboribus requies, imo & instantaneis laboribus gaudia æterna comparantur. Vide quām meritò dictum est: *Regnum meum non est hinc.* *O mira metamorphosis! Da terram, ut accipias Cœlum. Sustine, spera, & videbis; caput tuum,* & Rex tuus sub vexillo Crucis milites vocat ad Cœlum: verte terga mundo, sequere Deum, thema inter sapientes Christianos. Duas civitates, altissimis illis librī de Civitate Dei, proposuit Sol Ecclesiæ M. P. N. Augustinus, Civitatem scilicet Dei, à Seth filio Adami, Patre autem Enos, qui cœpit invocare nomen Domini; civitas verò Diaboli à Cain, & per filios suos propagata. Hæ sunt duæ civitates assiduè gerentes bellum inter se; ad quam pertinebis, o Christiane? Quod initium? Quis progressus? Qui mores? Qui finis? De civitate Dei intelligendum est: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, O pauci gradiuntur per illam:* de civitate Diaboli: *Lata est via, quæ ducit scilicet ad perditionem, O multi gradiuntur per eam.* Quām longe propagata est ista Civitas? Et usque modo cùm Dei civitas, populus videlicet Christianus, quasi funiculus sit hæreditatis, paucissimi, & numero brevi, paucissimi, & incolæ ejus. Ferè totus mundus in tenebris infidelium, paganorum, & hæreticorum, imo & numero

Lucæ 17.

Joann.  
18.Gen. 4:  
v. 26.

Christianorum ; ubi fides cum operibus ? Ubi zelus ? Ubi pietas ? Ubi lingua , & manus conueniunt , nec discordant ? Quis ad brevem hanc Declamationem deducet ? Quis es tu professione ? Christianus ; in Baptismo dixisti : *Abrenuntio mundo, diabolo, O pompis ejus.* Quid tibi cum his, quibus abrenuntiasti ? Modò ajebat Augustinus ingrediens Templum orationes fundere ; inde cum histrionibus impudicè clamare : Quid tibi cum pompis diaboli , quibus abrenuntiasti ? Populus Christianus , quæ tibi lex ? quæ præcepta ? Quid credis ? Primi in dignitate , ac in beneficiis sumus Sacerdotes ; Prælati alii in honoribus , & beneficiis ; sæculares Principes , Nobiles , Divites ; sapientes omnes à majori usque ad minorem, omnes avaritiæ student ; quid dicam vobis ? Recogitabo tibi omnes annos meos , vel interrogabo generationes singulas in amaritudine animæ meæ :

**Isaiæ 38.** *Domine , si sic vivitur :: ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Bernardus : *Amara in persecuzione Paganorum : Amarior in conflictu hæreticorum : Amarissima in Christianorum , & filiorum*

**Cantic. I.** *prava operatione : Filii matris meæ pugnaverunt contra me : durior hæc pugna , quoniam à filiis ; si extranei , minus esset doloris ; plus namque periculi semper est in insidiatore occulto , quām in hoste manifesto : Si inimicus meus maledixisset*

*mibi , sustinuisset utique : O si is qui oderat me , super me magna loquutus fuisset , abscondisset me forsitan ab eo : tu verò homo unanimis , Dux meus , O notus meus , qui simul tecum dulces ( Euchariæ , & Sacramentorum ) capiebas cibos . Veniat mors super illos , & descendant in infernum viuentes ; ita ut non descendant morientes . Dicebat Christus Discipulis , & Apostolis , & in his ad totam Ecclesiam : Intra in cubiculum tuum , O clauso ostio ora Patrem tuum : clauditur ostium ,*

**Matth. 6.**  
v. 6.

inquit Augustinus , timore , & amore : ò si unum tantum ex his Declamationibus possem ego mea tepiditate reportare ! Jam alibi de oratione , & meditatione , sed semel tantum dixisse, non sufficit ; ostia sunt timor , & amor ; non timetur Deus, damna temporalia timentur ; diligitur mundus, despicitur Deus. Sic ostia , cui debebant esse aperita , clauduntur ; cui clausa, aperiuntur : timeamus, nè timeamus ; Deum timeamus, nè inaniter timeamus : *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ? Nolite timere eos , qui occidunt corpus , sed potius timete eum , qui potest ὁ animam , ὁ corpus perdere in gehennam. Augustinus : Hic doceatur , & non timendo timere , & timendo non timere : secùs autem. O perversa inversio ! Qui eligit in civitate diaboli , & inhabitare , & frui, gaudia civitatis Dei omnino contemnit : quis audiuit umquam talia quæ fecit horribilia nimis, virgo Israel ? Anima Christiana , siste gradum, parùm immorare : ò dolorosa commutatio ! Scribitur de Agesilao Rege dum necessitate compulsus in captivitatem traderetur , petuisse & citharam , & spongiam : citharam , ut cantu dolorem temperaret ; spongiam , ut lacrymas ab oculis tergeret ; exclamasseeque : Dii boni, quām utili pretio servum me de Rege fecisti ? Sed qualis comparatio in hac nostra commutatione : in hac nostra captivitate. Versa est in luctum cithara nostra , defecit chorus noster : ò civitatis Dei fœlix civis! O infelix ad civitatem Diaboli transiens!

*Regnum meum non est de hoc mundo ; hæc tibi , Christiane , dicit Christus : vide cui nomen das , sub quo vexillo militare decernis , ut prudenter agas respice finem. Imago mundi est juvenis formosus : in fronte hæc inscriptio : Mecum*

Matth.  
10. v. 28.

Joann.  
18.

*Scientia*; in dextera: *Mecum divitiae*; in sinistra: *Mecum honores*; in pectore: *Mecum delitiae*; in tibiis: *Mecum fortitudo*; in pedibus: *Respice finem*. Nonnè hæc digna sunt, & nostræ cogitationis, & curæ? In his expendendi dies, menses, anni, & vita tota: O digna cogitatio! O deplorabilis oblivio! Et tu, Omnipotens Domine, qui sedes super Cherubim, qui quotidiè venis ad animas nostras, illumina cæcitatem nostram, dita paupertatem nostram, lava fœditatem nostram, aperi surditatem nostram, vivifica mortem nostram; jam non enim dormientes sumus, sed mortui. Quisnam letargiens somnus insensibilis, obtutus oculus, jam mutus est Tullius: Leo rugiet, quis non timebit? Leæna rugitibus filios excitat ad vitam; fac luctum quasi draconum, & plancum quasi struthionum. Sit ergo nostra occupatio hæc meditatio; nec poteris meditari quin statim tibi sequatur conteri. Sat sint verba: de hoc numquam satis.

Remisit Pilatus Jesum ad Herodem, qui & veste albâ indutum remisit ad Pilatum; nec Herodi verbum Jesus loquutus est, quoniam interfecto Joanne, qui obtruncaverat vocem, anathema factus, dignus non erat audire vocem. Veste ergo albâ remissus est Christus. Veste purpureâ quasi Rex factus in domo Pilati; veste albâ quasi mente captus in domo Herodis. O Sapientia Patris, quæ ex ore Altissimi prodiisti primogenita ante omnem creaturam! Noli timere, Christiane, sapere, & amare vix Deo conceditur, ajebat Bernardus. Samson amore Dalilæ fortitudinem perdidit; non perdidit Christus, sed occultavit. Vestis alba, vestis purpurea; quanti fascis Domine, & purpuram, & candorem! Dilectus meus candidus, & rubicundus; sanguine rubicundus, candore amabilis: ecce sancti tui

sto-

stolas suas dealbaverunt in sanguine tuo : sanguis in passione , candor in innocentia ; ecce totus desiderabilis. Sanguis dolorem designat , quoniam oportuit pati Christum , & ita intrate in gloriam suam: quomodo qui nihil pati volunt , intrabunt in alienam ? Candor lucis æternæ , speculum sine macula , & imago bonitatis illius.

## DECLAMATIO XXVIII.

### DE CHRISTI FLAGELLATIONE , ET spinea Corona.

*Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum , & flagellavit ; & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus. Joan. 19.*



ILATO jam blandiente , vel potius frangente virgam judiciariam , ad flagella Jesum destinavit , injusta , prorsus crudelis , dolorosa , atque verecunda sententia ! Ut mansuetat Leo flagellis in conspectu ejus ceditur canis ; hic contra : Leo fortissimus ceditur , cum canes pessimi non mansuecant : poena tantum latronum , vel servorum , aut infantium , ita ut nullus civis Romanus , aut nobilis , quantumvis enormius , & graviorum delictorum reus , flagellis cædi posset , ut constat ex D. Paulo. Jam comparatione factâ inter Barabbam , & Jesum , ille dimissus , hic flagellatus , postmodumque crucifixus. Et nudaverunt eum : O crudele , & acerbum spectaculum ! Amictus lumine sicut vestimento , qui operit Cœlum nubibus , illudque ornat astris , terram herbis , floribusque exornat , nudus

ap-


appareat, quoniam Adam, & uxor ejus transgres-  
 sione facta nudi absconderunt se; sibi perizoma-  
 ta fecerunt, à Deo vero peliceis induiti vestibus, pro-  
 jecti sunt de Paradiso, eò Christus quasi ad pro-  
 digium ferè nudum exclamans, servis ait: *Citò  
 proferte stolam primam, & induite illum;* eò vo-  
 luit Christus hanc summam verecundiam sustine-  
 re, tūm, ut hanc stolam nobis restitueret, tūm  
 ut profanis nuditatibus satisfactionem pararet.  
 Quia viderunt nudam arcam Philistæi perculti-  
 sunt, occisione multorum millium; quia Cham  
 irritis nuditatem Patris maledictione punitus ip-  
 se, totaque progenies ejus; quia verò Sem, &  
 Japheth incidentes retrorsum operto pallio Pa-  
 tris nuditatem cooperierunt, benedictionibus  
 donati. Speciosus inter filios hominum nuditate  
 irritus, quid in purissimo dolentius esse poten-  
 tit? Quia ausus est Heliodorus ingredi ad pro-  
 fanandum Templum, ac furandum, apparuerunt  
 duo Juvenes pulcherrimi incessanter flagellantes;  
 flagellum non appropinquavit tabernaculo tuo,  
 & tu popule meus, quid feci tibi? Ego pro te  
 flagellavi Ægyptum, & tu me flagellatum tra-  
 didisti ad crucifigendum. Quæ conventio tua,  
 Christe, ad flagella! Et quād dura: supra dor-  
 sum meum, inquit, fabricaverunt peccatores, pro-  
 longaverunt iniquitates suas; sulcos fecerunt, ad-  
 dentes flagellis flagella. Jam non torquebantur  
 membra, sed vulnera; fluebat sanguis, qui mul-  
 titudinem peccatorum nostrorum irriguo dulci  
 sopiret: quād ad prælens; non enim est terra  
 hæc sicut terra Ægypti, in qua horrorum mo-  
 re aquæ ducuntur irriguæ, sed de Cœlo spec-  
 tans pluviam: da ergo irriguum superius, & in-  
 fierius. Rigans montes de superioribus suis, de  
 fructu operum tuorum satiabitur terra: O san-  
 guis imber gemmeus, hæreditas ditissima, cuius  
 cruen-

cruenta vulnera nos ad medelam præmonent: hæret lingua, tremit cor, pallet aspectus, & quæ verba dignè poterunt tām dolorosum, ac crudele spectaculum verbis dignis exprimere! Factum est diluvium super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ sunt. Sed considera, ô anima mea, si illud diluvium fuit aquarum, istud tamen sanguineum; illud ad delendam terram, istud ad omnino lavandam. Dominus diluvium inhabitare facit; inhabita, ô anima, istud sanguineum diluvium; illo inebriate, ut terra cordis spinas, ac tribulos germinans reddat fructum aliud centesimum, trigesimum aliud. Meditare hujusmodi dolores. Varia fuerunt instrumenta (juxta doctrinam Sanctorum Patrum) virgarum spinas habentium, funium in extremis ferreis catenulis, acutissimisque trahentibus, & sulcantibus carnes. Multi pariter, variique flagellantes; aliis fatigatis, alii succedebant: *Congregata sunt, ajebat, super me flagella, O ignorabam: quæ non rapui, tunc exolvebam.* Nos debitores, tu solvis: ego in flagella paratus sum, quia dignus sum; visita in virga iniquitates meas, & in verberibus peccata mea: misericordiam tuam non auferas à me. Patris amorosa castigatio erit, non pro mearris, sed secundum tuam misericordiam, idcirco exolvisti, ut à poena me liberares: flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Sed in hoc spectaculo flebili adhuc restat lacrymabilis consideratio; ad finem ductâ flagellatione, vel quia Præses jussit, aut aliis ex motivis, prout varii Contemplativi referunt, funibus solutis, cecidit Christus in terram involutus proprio sanguine, quem circa columnam effusus

derat; vestibus ut iterum indueretur vadens, & illas quærens, ludentes Domino Majestatis, dum hic quereret, alibi projiciebat: quisnam siccis oculis tale præsens habebit spectaculum? Domine Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, imprimè cordibus nostris, tam dirum, & acerbum spectaculum: adjuvet nos, Deus, gratia tua, sine qua nihil possumus; emolli cor nostrum durum, imprimè spectaculum illud, de quo Isaías: *Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, quasi absconditus vultus ejus: disciplina pacis nostræ super eum, cuius livore sanati sumus:* quoniam cum omne caput languidum, Ecclesiæ suæ scilicet, omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem capitum non erat in eo sanitas; eò totum corpus tuum, Christe, flagellandum fuit, donec responderet infirmitati medela, ut toti corpori vulnerato totum tuum corpus flagellatum responderet.

Post dolorosam flagellationem aliud sequitur spectaculum, dolorosa scilicet spinea Corona; & milites quidem plectentes spineam coronam imposuerunt ei. In modum pilei totum caput cooperientis, spineis acutissimis terebrantes usque ad cerebrum, quoniam hi fructus terræ maledictæ Adami: spectata quidem es, ut uvas faceres, sed fecisti spinas. Time nè istæ tecum ardeant in inferno. Inter ænigmata (ut refert Pineda de rebus Salomonis) que ipsi proposuit Regina Saba, fuit annulus circum circa his litteris exaratis, ut explicaret ænigmata earum.



A. C. F. R. I. C.

A. C. F. R. I. C.

A. C. F. R. I. C.

Hoc est ænigma, hæc interpretatio sermōnis: hæc litteræ sunt initiales horum nominum: **Aurea**, **Corona**, **Fortissimus**, **Regnat**, **In**, **Cœlo**. In secundo versu: **Aspera**, **Corona**, **Filius**, **Redimitus**, **Inferiora**, **Calcabit**. In tertio versu: **Amoris**, **Cognita**, **Fortitudo**, **Regalium**, **Insigniarum**, **Copulatio**. Quid namque nisi amor unire potuit, & insignia tanti doloris, tantèque gloriæ, ac magnitudinis! Doloris scilicet in prætorio Pilati; gloriæ verò in Cœlo, ut aspera corona redimeretur in terra, quia aurea corona fortissimus regnat in Cœlo. Vide ergo nunc, anima devotissima, quam coronam ex his eligis in terris, ut videas quâ coronaberis in Cœlis: in terris spinea, in Cœlis aurea. Divæ Catharinae Senensi, ut refertur in ejus vita, obtulit Christus spineam, alteramque coronam auream; elegit spineam in hoc mundo, ut auream haberet in Coelo: hæc amoris cognita fortitudo, hæc regalium, ac pungentium spinarum copulatio; per spineam, & fiorentem ad fulgentem, pretiosamque in Cœlo coronam est perveniendum. Vide quid elegeris. Iterunt ligna, ut sibi Regem eligerent, Rhamnus electus Judic. 9.  
v.8. est Rex, non Oliva speciosa, non Cedrus pulcher, non vitis dulcis, non ficus, sed Rhamnus. Egrediatur, inquit, ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani: *O altitudo divitiarum sapientiae, O scientia Dei! Quām incomprehensibilia sunt iudicia ejus, O investigabiles viæ ejus!* Juniores, ac inexperi-  
ti deridentes simplicitatem, virtutemque Job, cui non erat similis in terra, quorum partes cum ca-

Job 30. v.7. nibus ponebant digni ; tabescentes fame ; quia  
 vita ipsa putabantur indigni, esse sub sentibus de-  
 licias computabant. Conversus sum in ærumna  
 mea dūm configitur spina : quoniam lumbi mei  
 impleti sunt illusionibus ; lumbi quidem , è  
 quibus radices impunitatis , ac carnis formantur;  
 inde cogitationes ad memoriam , intellectum , ac  
 voluntatem ascendunt ; eò tot dolorosa , tantil-  
 que spinis circundata , quasi septuaginta dua-  
 bus linguis , quibus mundus dispersus est , jux-  
 ta plurium applicationem ; eò igitur tot spinæ in  
 Corona Christi , ut cogitationibus tūm superbiæ,  
 tūm luxuriæ , omnisque tandem iniquitatis , ac  
 vanitatis , in auxilium , defensionisque remedium,  
 nobis essent in medelam. Quis cogitationum qua-  
 si spinarum pungentium tota die , & tota noc-  
 te numerare valeat ? *Cogitationes meæ dissipatæ  
 sunt , torquentes cor meum.* Etiam in somnis per  
 ipsa terribis me , ajebat Job : perversæ autem  
 cogitationes separant à Deo ; Spiritus enim Sanc-  
 tus disciplinæ effugiet fictum , & auferet se à  
 cogitationibus , quæ sunt sine intellectu : quām  
 ergo longa , & abundans malarum cogitationum  
 pravitas : multum ergo Domine , Agnus mitissi-  
 me , tibi sustinendum est , quia pro tantis cogi-  
 tationibus satisfaciendum. *Modò ergo egredimini  
 filie Sion , O videte Regem Salomonem in dia-  
 demate , quo coronavit eum mater sua in die des-  
 ponsationis ejus , O in die lætitiae cordis illius ;  
 sed potius ingredimini , ajebat Sanctus Thomas à  
 Villanova ; videte Regem pacificum Salomonem  
 quasi illusum Regem , quasi hujusmodi fabula  
 vana foret : diademate ex spinis compacto : in  
 manu pro sceptro arundine vacua , purpura dis-  
 rupta , & consissa , veste alba , quasi amens : ò  
 Regiæ hominum dignitates ! O coronæ curis  
 adeò pungentes ! O sceptra quasi arundines ven-*

Cantic.

3.v.11.

to


to agitatæ ! Vacuæ , ac sine substantia. Attende , mortales , quoniam præterit figura hujus mundi , qui gaudent tanquam non gaudentes , qui flent tanquam non flentes , & qui emunt tanquam non poſſidentes : *Non doctas fabulas sequi , notam fecimus vobis Domini virtutem , & potentiam , quam nemo Principum hujus sæculi cognovit , quam prædestinavit Deus in gloriam nostram.* Si verè , fratres , divites esse cupitis , veras divitias amate. Videte ergo , fratres , qualiter Dominus noster totus amabilis , & desiderabilis Jesus ex malitia Judæorum in Theatro mundi hujus repræsentat. Vestis alba amenitum , purpura ſcissa , quaſi ejus , qui ſe Regem facit ; ſpinea corona : ſed quæ insignia tam dolorosa , ſimulque irrisoria ! Quis ſic cum iſionibus dolores copulavit ? Facies repleta ſputis , caput arundine percusſum , ſalutationes genu flexu irridentes ; quis tanta cumulavit ? Cui malefactori talia facta ſunt ? An in feris : an in tota historiarum ſerie per totum orbem , tot in uno collecta ſunt : quis barbarus ? Quis Scytha talia copulavit ? Cui tanta potuerunt in memoriā venire ? Sed hæc à Diabolo adinventa ſunt : O invidia peggia fera , & hydra tot capitum ! Sed nè glorieris , Lucifer : nè exultetis , dœmones : prævalet , ac ſuperat in immenſum charitas , & amor Christi : certum namque eſt cuncta hæc à Domino permitta fuiffe ; in immenſum Christi amor vestrā malitiā excedit : ut ergo copioſa eſſet redemptio , & voluit Deus pro nobis ſuſtinere , nec aquæ multæ extinguere charitatem potuerunt : ergo Dei bonitas malitiā dœmonum abſque comparatione exſuperat : ſi ergo hæc talia excogitavit malitia Dœmonum , charitas Dei abſdubio majora illis desiderio desideravit , atque immensa charitate ſuſtinuit.

Michez  
2. v. 3.

Excogitate verò aliam ignominiosam , ac dolorosam injuriam ; comparatione facta cum Barabba ( invalescunt voces ) non hunc , sed Barabbam ; tolle , tolle , crucifige , crucifige . Quis talia unquam audivit ? Barabbas latro , homicida , Reipublicæ ejus vita nociva : *Popule meus quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? Responde mibi.* O qualis abjectio , & humilitas ! In cruce inter latrones quasi unus ex illis , modò quasi pejor , pessimus ; verè novissimus virorum , opprobrium hominum , & abjectio plebis , infunde in nobis veræ humilitatis exemplum : qualis locus , cui nos comparabimus , & exæquavimur , dum Verbum Patris pejor pessimus hominum judicatur ? Nè avellamur ab hoc exemplo ; simus humiles , ut simus Sancti ; humiliores , ut sanctiores ; humillimi , ut Sanctissimi , ajebat Augustinus Pater .

En autem accedit alia dehonoratio , aliisque dolor amotis simul , nobisque ad exemplum , misericordiam , ac confidentiam imago proposta . Adducitur Christus à Pilato coram populo , & ait illis : *Ecce Homo.* Verbum breve , sed quantis mysteriis , diversisque sensibus gravidum ! A Pilato populo dicitur : *Ecce Homo :* quot vulnera , quæ plagæ ! A planta pedis usque ad verticem capitis . Ubi figendi oculi , quod non scindatur pectus ? Siste gradum ; paulisper siste , immora aliquantulum : *Ecce Homo ,* sed non homotantum , sed Deus ; quid in utroque ? Immora , non parum , sed multum : *Ecce Deus ; Ecce Homo.* Quilibet nostrum , charissimi fratres , hoc expectaculum Patri proponat ; ipse Deus , & Homo pro nobis Patri se offert ; fidejussor ipsi se proponit ; nobis singulis , & unoquoque nostrum totam infinitam satisfactionem , & offert , & exhibet ; O me divitem tantis meritis ! Jam judicio tecum

cum contendam: non ex gratia, sed ex justitia  
 spero mihi dimittendum; tua merita nostra sunt;  
 jam cogitabam, quia dūm merita nostra coronas,  
 non nostra merita, sed tua dona coronas; ita  
 meditabatur cor illud sagittis tui amoris vulne-  
 ratum M. P. Augustini, ita ergo cogitando: *Ec-*  
*ce Homo*, infinitum debitum, infinita solutio; ita  
 se exhibet Patri vadens, Deus Homo. Sic etiam  
 ipse Pater proprio Filio, cui non pepercit, sed  
 pro nobis omnibus tradidit illum, loquitur ad  
 nos dicens: *Ecce Homo*. Videte qualem charita-  
 tem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur,  
 & simus. En proponit illum propitiatorem per  
 fidem in Sanguine ipsius. Sed & nos singuli di-  
 camus Patri, simul ac Christo: *Ecce Homo*: quid  
 homo facere potuit? Numquid non homo pu-  
 tredo, & filius hominis vermis? Quid homo?  
 Leve naturae ludibrium, quem ad omnia flagi-  
 tia natum, in opprobrium sui indignata natura pro-  
 jecit. Recordare figmentum nostrum, quoniam  
 pulvis sumus: homo sicut fænum dies ejus, tam-  
 quam flos agri sic efflorebit. Spiritus pettransi-  
 bit in illo, & non subsistet: misericordia au-  
 tem Domini ab æterno, & usque in æternum;  
*Ecce Homo.*



## DECLAMATIO XXIX.

AD CHRISTUM CRUCIS PONDERE  
 gravatum , & in Calvariam ductum,  
 ibique crucifixum.

*Et bajulans sibi Crucem , exivit in eum, qui  
 dicitur Calvariæ locum. Joan. 19. v. 17.*



XEAMUS igitur cum eo extra castra , improperium ejus portantes: quoniam Jesus extra portam passus est. In festo Expiationis congregebantur super victimam arietis omnia maledicta, extra castra holocaustum offerebatur, eò quod in illum maledicta in gesta declararent Christum extra portam passum , in quem quotquot fuerunt delicta , & peccata à Domino ipsi imposita sunt in satisfactionem omnium. Rex Josias combussit lucos, succidit Aras, & combussit Sacerdotes Idolorum , projiciens omnium cineres in torrentem ; ita Dominus imponens omnia peccata super Christum, deduxit in Calvariæ locum. Vide arietem , in quem congregata sunt maledicta ut expiatetur mundus , illum inquam arietem , qui in monte Moria substitutus est pro sacrificio Isaac filii Abrahæ. Vide ergo qualiter ipse Abraham portabat in manibus ignem , & gladium , amorem scilicet , & justitiam, quibus virtutibus sacrificium erat immolandum; sic Pater Æternus ignem charitatis , gladium iustitiae in manibus portabat ad sacrificium. Sed ubi est , inquit ipse Isaac , victima holocausti ? Dominus providebit sibi victimam holocausti , fili mihi,

mihi , dixit Abraham. Hoc autem fuit discrimen, quod Isaac non est mortuus, sed loco ejus aries; at verò Christus mortuus in ara Crucis, oblatus victima , cùm pariter Abraham non indicasset uxori , nè talem dolorem haberet ; at B. V. Matri Mariæ non est tale occultatum ; sequuta est ad Calvariæ locum , stetit juxta Crucem , simul cum Filio , victima facta amoris , adimpta prophetia Simeonis : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* , dùm unum pariter holocaustum offerrent Deo , Christus Hostia in Altari Crucis, Maria in ara cordis Martyr , & plusquam Martyr ; cùm Martyr fuerit in anima. Vide duo altaria in Calvariæ monte : sed quid sibi ista indicant ? O Beatissima Virgo ! Dixerat Angelus nuntians Filii Incarnationem : *Ave gratia plena*; sed nunc te dicemus : *Ave dolore plena*; dices nobis : *Nè vocetis me Noemi ( id est , pulchram ) sed vocate me Mara ( id est , amaram ) quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens.* Dominus tecum , non tantum per immensitatem, nec solùm ut in anima justi per gratiam , sed per majorem , & altiore gradum , quàm in iustis omnibus ; excessa in primo instanti ad totam Sanctorum , & Angelorum gratiam , juxta illud : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* ; sed per elevatiorem gradum ad ordinem hypostaticum Mater facta Filii Dei , & quid vult illud : *Concipes in utero , & paries Filium , & vocabis nomen ejus Iesum , & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus , & regnabit in domo Jacob in æternum , & regni ejus non erit finis ?* Perpende singula : quale est istud regnum David , cuius præconium inter latrones reputatus cum inquis dignus morte : latronibus , & Barabbæ postpositus , & pejor illis habetur ; nisi vaticinium David habeatur : *Dominus regnabit à ligno.* Si quomodo

Ruth 1.  
1.v.20.

Psal. 86.

Luce 1.  
v.31.

Lucæ 1. istud fiet percontamur , statim dicetur : Non erit  
 v.31. impossibile apud Deum omne verbum. Filiæ Je-  
 rusalem quid me admiramini ? Divinum est My-  
 sterium hoc , quod cernitis : siste tamen gradum,  
 pia anima , in egressu portæ ad Calvariam ; vi-  
 dens Jesus mulieres , quæ sequebantur , flentes,  
 Lucæ 23. dixit ad illas : Filiæ Jerusalem nolite flere super  
 v.28. me , sed super vos ipsas fiete , & super filios ves-  
 tros: quoniam ecce venient dies in quibus dicent: bea-  
 tæ steriles , & ventres , qui non genuerunt , &  
 ubera quæ non lactaverunt ; tunc incipient dicere  
 montibus : cadite super nos ; & collibus : operite  
 nos , quia si in viridi ligno hæc faciunt , in arido  
 quid fiet ? Attendite modò Judæi vestram cla-  
 dem , ejusque comminationem amodò , & ex-  
 tunct , & usque in finem , sine intermissione com-  
 plendam. Videte quid dixistis : Sanguis ejus super  
 Matth. 27  
 v.25. nos , & super filios nostros ; nos enim alio piissi-  
 mo sensu dicimus , & in finem in nobis imple-  
 dum speramus : Sanguis tuus , Domine , super  
 nos , & super animam nostram : super opera nos-  
 tra , super nostra peccata ut deleantur , ut sit  
 Sanguis in lavacrum , ad delendas maculas , in  
 pretium , & satisfactionem pro culpis , in hol-  
 ocaustum , & victimam pro beneficiis , pro pec-  
 catis ; in pretium pro præteritis , ad impetrان-  
 dum pro futuris. Omnia hæc in sanguine habe-  
 mus : Omne quod est in mundo concupiscentia car-  
 nis , concupiscentia oculorum , superbia vitæ. Pro  
 concupiscentia , & delectatione carnis in sanguine  
 tali cum dolore effuso ; pro concupiscentia  
 oculorum in ipso , pro ejus paupertate , ac hu-  
 militate. Pro superbia vitæ in tali vilitate , &  
 despectu. Quis non pavet cùm minatur : venient  
 dies , in quibus dicetur : Beatæ steriles , quæ  
 non parturierunt , & ubera , quæ non lactave-  
 runt ? Quia si hoc fit in viridi , quid erit in ari-  
 do ?

do? Quid autem erit post spiritalem assensum in Moria, seu Calvariæ locum ad sacrificium? Descensus ad planitem montis, iterum assumere jumentum corporis, rursus ad ejus curas, & cogitationes, quasi ad sensus corporis, ejusque curas, ac pugnas reverti. Redire ad famulos, scilicet sensus, curas, & cogitationes illorum habere. Vita carnis vivere, qui conversationem in Cœlis forte jam cœpimus. Eamus ergo in montem Myrrhæ, & ad collem thuris: quis temperet à lacrymis? Quis non doleat? Cujus non emolliatur cor? Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere. O acetum acidum, & crudele! Non gustat Dominus ex vino acidum acetum; conversa est anima in acetum ex vino felle mixtum: obstupescunt dentes ex uva acerba; quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena, quæ expectata es ut faceres uvas, fecisti autem spinas? Aceto, ac felle potasti Christum: quanta est amaritudo? Dirupta maceria vineæ facta est hæreditas in conculcationem, quam devastat singularis ferus, & aper de sylva, quam plantavit dextera tua; ascendent vepres, & spinæ. Respice de Cœlo, & vide, & visita vineam istam, quam plantavit dextera tua: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi: filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Qui non eram ad custodiendam vineam meam, aliarum factus sum custos. O synagoga iniqua! Eris in conculcationem, atque in disruptionem, incensa, & suffossa igni. Servos iterum, atque iterum occidisti, imò & filium extra vineam extractum, ut hæreditatem prætiperes: sed malos male perdidit; vos homicidas, & Deicidas; & vineam suam locavit aliis agricolis, qui ei reddant fructum temporibus suis. Videte Sacramentum

Cantic.  
I.

magnum reprobatonis Judæorum ; & vocationis Gentilium, cùm essemus velut Oleaster amarus, inferti sumus in bonam olivam, facti sunt rami illius, ut tu sis insertus loco ejus. Sacramentum magnum, inenarrabilia judicia , altitudo divitiarum sapientiæ , & scientiæ Dei : quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei , & retribuetur ab eo?

Ad culmen Olympi ascendamus , in quo pace summa tenent , nam nubes excellit Olympus. Jam Christus ad Calvatiæ montem pervenit , iterum nudatur, ut affigatur Cruci; iterum, iterumque irrisiones , nuditasque dolorosa ! Dùm paratur Crux, vel cùm jacens super eam , extendit manus, & pedes, ut crucifigatur , orat ad Patrem : *Pater venit bora, clarifica filium tuum:: Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te priusquam mundus fieret.*

**Joann.** Manus omnipotentis suffixæ , pedes in quærendo ovem perditam lassati , pariter & distenduntur , & affiguntur Cruci: qui tribus digitis appendit molem universæ terræ , potentia scilicet , sapientia , & bonitate : timore scilicet , spe , & charitate , ait Villanovanus. Qui medius est in Trinitate , hic est medius inter latrones , qui etiam in nativitate in medio duorum animalium jacebat in præsepio, & fulgebat in Cœlo : sic consideravi opera tua , & expavi ; & in medio Doctorum in Templo , qui mirabantur super sapientia, & responsis ejus. Elevatur Crux in aere , ut ad umbram sedeamus ; ibi corrupta est mater tua , & violata genitrix tua, Synagoga scilicet. Contremiscit totus orbis , petræ scissæ sunt , monumenta aperta sunt, ab hora sexta usque in horam nonam tenebræ factæ sunt. Præfiguratis his tribus horis in tribus diebus horribilium tenebrarum in Ægypto : non sustinet Sol, nec mundus videre Christum in Cruce pendentem. Tenebris offusis quasi lugubres vestes induens, & quidem ut omnino clausis oculis redeamus homines

ad cor, non ad alia objecta distrahamur; sed clavis oculis, tenebrarumque velis oculis obfuscatis, ad nihil aliud distrahamur, sed ibi sit tota mens, tota intentio. Per te, o bone Iesu, vivamus, in te moriamur, in te perfectissime transformemur, ut in te tantum vita vivamus æterna. Prepara nunc te, anima, ut attendas, quale testamentum in Cruce condidit Christus pro te; hereditatem tibi legavit Sanguinis, & Corporis sui Sacramentum. Sacramenta omnia quidem, quæ sunt reliquæ passionis Christi, virtutemque ejus mortis continentia; vestes in sortem deposita, animam Patri, Ecclesiæ, animæque fidei cuncta reliquit. Attende modò verba, quæ tanquam Magister sedens in Cathedra, cunctis hominibus loquitur: vide quoniam quæ in fine viæ dicuntur, nunquam debent oblivisci, sed semper in memoria sunt habenda. *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; lectio de amore, & dilectione. Ecce Mater tua, ecce filius tuus; quale pignus dum designatur specialiter peccatorum Mater, & in hora mortis Advocata: Ecce Mater tua, ecce filius tuus.* Tertium verbum: *Hodie tecum eris in Paradyso;* o solatium peccatorum! O confidentia maiorum! Sitio, prosequitur lectio; majora tormenta, salutem animarum, aquam lacrymarum, quæ fluant die, ac nocte, dum dicitur per singulos dies: Ubi es Deus tuus? Derelictio, vel illius questus filii ad Patrem: *Quare me dereliquisti? Noli me derelinquere in hora mortis,* eo filium videris dereliqueris, ut non me derelinquas, ut nunc supplex imploro pro hora ultimæ necessitatis. *Consummatum est, inquis, quoniam citò fine consummabuntur,* vel blanda, & falsa fraudum mundi fabula, cum incipient dolores numquam terminandi; vel si sancta vita fuerit fœlix exitus, & finis, labores, jejunia, & crucis omnes finem accipient, felicitas, beatitudo, & gloria initium capient, quod in æternum

Lucæ 23.

Joann.

19. v. 26.

Joann.

23. v. 43.

Marci

15.

Joann.

19. v. 30.

non

- Luc<sup>e</sup> 23.  
v.46. non finietur: *Ergo in manus tuas Domine commendō spiritum meum; quot Sancti his verbis expirarunt! Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea illorum similia; si autem dissimilis vita, qualiter novissima quāres similia in morte justorum? sed si similis fuerit vita, pariter & mors similis erit.* *In manus tuas, quoniam manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me, commendō spiritum meum,* ut cūm corpus revertatur in terram suam,
- Psal. 30.  
v.15. spiritus redeat ad eum qui fecit illum. *In manibus tuis fortes meæ tempora mea.* Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: *Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim, amodò si pro tunc tempus defuerit, hæc omnia propono, voluntas perseverandi, nulla oro sit retractatio;* hic incipit charitas, quæ numquam retractabitur in patria. Jam Centurio, & qui cum eo erant revertabantur percutientes pectora sua, & dicentes: *Verè filius Dei erat iste,* & turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, idem dicebant. En totus concutit orbis, elementa confunduntur, terra tremuit: nè obliscaris vulneris illius lateris, quod
- Matth.  
27. vulnus amoris est: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis, & aqua.* Vulneris in latere arcæ ut à diluvio liberentur, unde Sacramenta manant; ex latere Ad<sup>e</sup> dormientis in Cruce Hæva formatur, quæ est Ecclesia. Sacramentum hoc magnum est. Elongare fugiens, & mane in hac solitudine, ibi me abscondes in abscondito cordis tui; in nidulo meo moriar, & multiplicabo sicut palma, & sicut Phœnix dies meos: eris mihi in domum refugii, & in locum munitum, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei. Amen.
- Joann.  
39. v.34.



O. S. C. S. R. E.

De a. susp. - val. 1945-25/15



